NAZ. CENTR.
294
12A
9
VITT. EMAN. II
ROMA

204.12.A.9

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

EXPLICATIO
DOCTRINÆ
S. THOMÆ AQVINATIS,
DOCTORIS ANGELICI, ET COMMUNIS,

Et Confirmatio Theſium & Impertinentium ex eodem:

904.12.A.9.

DE MOTIONE PRIMI MOTORIS DISPUTATORUM

in Collegio Regio Duaci.

AUTHORE FRANCISCO SYLVIO à Braniâ Comitis, tunc S. Theol. Licentiato, & præfati Collegii Philoſophiæ Profeſſore. Poſteà autem S. Theol. Doctore nec non ejuſdem Regio ac publico in eadem Univerſitate Profeſſore.

IN QUATUOR PARTES DIVISA.

EDITIO II.

Omnia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio ſubjecta ſunto.

AMSTELODAMI,
Typis Jacobi l'Eſcaillé, Anno 1663.

MAGNIFICO

D. RECTORI

ET

RELIQUO ALMÆ

UNIVERSITATIS

Duacenſis Concilio ſalutem precatur.

FRANCISCUS SYLVIUS.

PERQUAM difficilis quæſtio eſt, & pugnantibus nominatiſſ. Doctorum judiciis, nunc in hanc, nunc in illam partem ventilata; ſitne modus operationis Dei per creaturas ſuas ſimilis illi quo duo ſimul tam natura, quam tempore navem trahunt: ut proinde, quemadmodùm horum nullus alium movet, applicat, aut determinat ad

agendum: ita ſit dicendum quod Deus & creatura ſimul operantur, ut etiam neuter eorum moveat alium, applicet, aut determinet, ideoque Deus concurrat in ſolum creaturæ ſuæ effectum & non in cauſam: An verò ſit cum B. Thomâ admittendũ quòd Deus omnipotenti ſuâ virtute & efficaciâ ſic realiter in omni operante operetur ut in illud influat, ipſum attingat, moveat, applicet, ac prædeterminet, non prædeterminatione illâ ſic quæ eſt in brutis quâ naturali neceſſitate aſtringatur ad unum, ſed eâ quâ prius naturâ ſeu cauſalitate quam operetur, Deus verè ac realiter faciat illud agere hoc quod agit. Eam quæſtionem humeris certè meis imparem, diſcutere ſi aggredior, temeritatis notam vereor; ſed conſolatur divina Sapientia dicens Eccleſiaſtici 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Veritatis

Eccleſ. 24.

par-

partim indagandæ, partim defen-dendæ gratiâ nuper fuit in Licæó Regio diſputata: quæ diſputatio licet veritatem non uſque adeò manifeſtarit, illius tamen penitiùs inſpiciendæ anſam præbuit. Quod dum facio, dumque pro Theſium dicti Collegii confirmatione, pro S. Thomæ explicatione, pro doctrinæ ejus defenſione plura congero: viſum eſt, non ſine multorum partim rogatu partim conſilio, lucernam iſtam non ponere ſub modio ſed ſuper candelabrum, ne cum abſcondentibus frumenta maledicamur in populis. *Sapientia enim abſcondita, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?* ait ſapiens Eccl. 20. & 41. Verùm, quis nodoſæ iſtius quæſtionis erit patronus? Non dubito Auguſtinos, Proſperos, Bernardos, Angelico Doctori dare dexteram: ſed & hoc ipſum ab aliis vocatur in dubium. Quis igitur eſt

Eccleſ. 20. & 41.

ſub cuius auſpiciis prodeat lucem viſura tantæ difficultatis explicatio? Si nobilitatis genere inſignes: ſi pietate conſpicuos: ſi eccleſiaſticâ functione præeminentes viros quærimus: re ad ſcholas ablegatâ, fabris fabrilia, ſcholaſticis ſcholaſtica convenire pronunciabunt. Ad vos ergo, Viri Academici, ad vos inquam convertor: vobis laborem hunc meum offero, dedicoque. Quem etſi nulla dignitas offerentis commendet, ab illo tamen cujus doctrina defenditur & explicatur, eam, credo, commendationem merebitur, ut tantorum virorum non ſolùm non reformidet aſpectum, ſed & tutelam ſperare auſit, oblatus modò dicatuſque fuerit. Et verò, cui potius quam cætui omni diſciplinarum genere celeberrimo, ſcholaſticarum quæſtionum perſpicaciſſimo, & Antiquitatis obſervantiſſimo,

quæ-

quæſtionem è ſcholarum veſtrarum ſcaturigine hauſtam dedicem? Eam ergo, ut non aliter quam nomini veſtro inſcriptam, in publicum darem ſuaſit ac perſuaſit, non modò ſtatus quæſtionis quæ viris gravibus & ad ardua ſenſus exercitatos habentibus apprimè convenit : ſed partim etiam quod reſolutio quæ à me fertur & explicatur in hoc opere, totius fere ſit Antiquitatis, totius Univerſitatis, à Patribus noſtris Lovanii & Duaci olim tradita & recepta : partim etiam quod propugnata ſit in loco Regis & Veſtro, Regis fundatione, Veſtro adminiſtratione. Doctrinam ergo Regiam cur non offeram regiis adminiſtratoribus, ſcholaſticam ſcholaſticis, Academicam Academicis, difficilem eruditis? Illam igitur vobis offero, Magnifice D. cæterique Domini hujus Duacenſis Univer-

ſitatis Conſiliarii: quam ſi æqui bonique conſulitis, non tantum me devincietis & animabitis; ſed & ipſi Sancto Doctori procul dubio gratum erit à tantis viris ſuſceptum ſuæ doctrinæ patrocinium. Quin & gratiam cælitùs rependet, Deum oraturus ut poſſitis ea quæ docuit non ſolùm intellectu conſpicere, ſed & imitatione complere.

Duaci è Seminario Epiſcoporum Provinciæ.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CM PHILIPPS

IN poſtremâ opuſculorum B. Thomæ editione, ex Inno. 4. monuimus illius doctoris ſapientiam præ cæteris, exceptâ canonicâ, habere proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem ſententiarum, ita ut nunquam qui eum tenuit inueniatur à tramite veritatis deuiaſſe; & qui eum impugnauit ſemper fuerit de veritate ſuſpectus. Quia ergo apud eum inveniuntur non ſolum hæc verba, Deus mouet, applicat, imprimit, determinat; ſed etiam hic modus dicendi, Deus eſt primum mouens quod omnia mouet, utitur omnibus cauſis ut inſtrumentis, applicat virtutes actiuas cauſarum ad operationem, operatur in omni operante, contingit cauſam dum eam mouet, voluntatem ſic mouet ut non ex neceſſitate ad unum determinet, omnia ordinat, omnia ſunt à Deo prædeterminata: rem ſtudioſis pergratam facturum me ſum arbitratus, ſi (ut Urbanus 6. loquitur) B. Thomæ doctrinam tanquam veridicam & catholicam ſectatus oſtendero illum non impropriè verba iſta ſumere, nec in ſolos effectus concurſum (quem ne nominat quidem) aſſerere, ſed proprietate verborum ſeruatâ (ut vult Pontifex) modum dicendi tenuiſſe qui ſententiarum veritati reſpondeat. Quod dum facio, B. Proſperum l. 3. de vitâ con-

contemp.c.34. imitatus. Hoc omnes, qui hæc fortè lecturi ſunt, conteſtor & obſecro, ut quicquid in rebus ipſis, quæ utcunque digeſtæ ſunt, reprehenſionis inuenerint, vitio meæ ruſticitatis aſcribant, & mihi dignanter indulgeant. Ea autem quæ ſecundùm fidem Catholicam dicta probauerint, deputent
Jac. 1. *Deo qui dat omnibus affluenter & non improperat: & pro his omnibus mecum gratias agant. Cæterùm de accuratione dictionis elucubratæ non ſatago, nec mihi pudoris eſt, ſi diſputatio mea, quæ fortè probatur in rebus, aliquos verborum inanium ſectatores horrore incomptæ orationis offendat. Ea enim mihi viſa eſt compoſitio ſatis ornata quæ conceptiones animi cum neceſſariâ quadam perſpicuitate proferret, non quæ illecebris aurium deſeruiret; præſertim cum ſententiarum viuacitatem ſermo ex induſtriâ cultus eneruet, & totam vim verborum ſplendor elaboratus euacuet. Tui candoris erit Beneuole lector, operam hanc noſtram boni conſulere: tuæ pietatis, fructum ſi quem ex illa perceperis authori Deo tribuere: tuæ gratitudinis, in tuis ad eum precibus noſtri meminiſſe, ut ſi fortè*
Jo. 1. *quid minus explicatè dictum ſit illuminare dignetur is qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Au-

Authores qui præter S. Scripturam & B. Thomam citantur pro Dei in cauſas reali efficacia & prædeterminatione.

ADrianus 6. Lovani.
Albert. Magnus.
Alex. Alenſis.
S. Ambroſius.
S. Anſelmus.
Ariſtoteles.
S. Auguſtinus.
Azorius.
Baſſolius.
Bellarminus.
S. Bernardus.
Boëtius.
S. Bonaventura.
Caniſius.
Capreolus.
S. Chryſoſt.
Concilium Arauſ.
Concil. Trid.
Concil. Tolet.
Coſterus.
Cunerus Lovan.
S. Cyprianus.
Driedo Lovan.
Franco Abbas.
S. Fulgentius.
S. Gregorius.
Greg. Arimin.
S. Hieronimus.
S. Hilarius.
Jacobus Latomus Lovan.
Janſenius Lovani.
Joannes Lenſæus Lovan.
Joannes Heſſelius Lovan.
Orationes Eccleſiæ.
Pariſienſes.
Pererius.
Petrus de Aliaco Card. Camer.
S. Proſper.
Ruardus Tapperus Lovan.
Scotus.
Tiletanus Lovan.
Toletus.

Ne

Ne cui ignotæ ſint Theſium & Imperti-
nentium noſtrorum aſſertiones, earum
ſummam hîc breviter ſubjiciemus.

EA eſt agentium ſecundorum ſubordinatio, ut omne quod mouetur ab alio moueatur, ideóque teſte Azorio, cauſa ſecunda vocatur 2. quia mouetur à primâ: alioquin enim ſolùm eſſet cauſa cum primâ.

Uniuerſa quæ mouentur & agunt, Deus ita impellit, ut quamuis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præueniat tamen; ideóque verè dicitur quod eas determinet ac prædeterminet, nec libertatem impediat.

Hæc doctrina ſic eſt à B. Thomâ tradita, ut etiam aſſerat omnes cauſas ſecundas eſſe inſtrumenta Dei: ita tamen ut ab inſtrumento non remoueatur ratio libertatis.

Deus ergo non ſolùm concurrit in effectus cauſarum ſecundarum, ſed etiam in ipſas cauſas influit. Opinio autem quæ ſimultaneum Dei in ſolos effectus concurſum aſſerit, nec eſt B. Thomæ, nec à veteribus probata inuenitur, ſed à recentioribus quibuſdam prædicari non ita pridem cœpta eſt.

EX-

INDEX RERUM.

ACtus peccati eſt à Deo. 94. 126. 240
Agens mutatur. 196. 197
Actio in quo ſubjectetur. 193
Agens contingit id in quod agit. 5
Omne agens eſt inſtrumentum. 33. 46. 58. 99. 103.
Applicat. 11. 16. 32. 51. 157
Cauſa agens eſt perfectior non agente. 97
Cauſa contingens determinatur ab exteriore. 5. 7. 153
Cauſa 2. accipit actionem à Deo. 153. 192
Cauſæ 2. non movent niſi motæ. 19. 27. 74. 76. 79.
S. Chryſoſt. explicatur. 150
Chriſtus homo inſtrumentum divinitatis. 103.
Ex concurſu in ſolum eff. ſequitur eſſe duo principia. 93
Excuſatio peccatorum nulla eſt. 131
S. Damaſcenus explicatur. 8. 160

DEUS.

Eſt 1. agens, 1. efficiens, 1. movens. 2. 14
Comparatur ſeſſori. 154
Cognoſcit per cauſam. 127
Compellit voluntates. 139
Eas non expectat. 141

Dat

BIBLIOTHECA PHILLIPPICA

Dat motum mobili. 26.35.53.105.177
Non ſemper formam. 44. 105
Eſt cauſa volendi. 3
Eſt in omnibus dans operationem. 4. 64
Determinat. 9. 22. 23. 37. 111. 153. 175. 176. 177. 179. 185. 186.219.
Immutat voluntatem. 17. 55. 57
Imprimit. 42.63.202
Influit in cauſam. 37.45.62.95.160
Limitat. 48
Movet omnes cauſas. 10.26.32.47.48.63
Omnia ordinat. 8.12.17.42.110.112.114. 116.
Operatur immediatè. 15.96.172
Operatur in cauſa. 14.39.41.44.46.154.155
Operatur prius. 35.82.88
Operatur velle. 156
Utitur omnibus. 9.99
Effectus omnes reducuntur in Deum. 91
Gubernatio differt à concurſu. 132
Gratia prævenit. 143
Non neceſſitat. 146. 151
Homo eſt inſtrumentum Dei. 24.44.182
Quid accipit inſtrumentum. 52.105.199
Ab eo non tollitur libertas. 23.103
Liberum arb. vide voluntas.
Omne quod movetur, ab alio movetur. 71. 72. 73. 74.
Movens eſt prius mobili. 85
Moveri à ſe & ab alio non pugnant. 12. 20
Eſſe in poteſtate. 38. 216. 230. 206.
Prædefinitio. 109.114.118.157

Prædeterminatio. 9.110.161.189
Præſcientia. 120
Præviſio futurorum. 163.168
Præventio. 142.146.209.187
Providentia. 112. 114. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124.
Quæſtio 3. de pot. non eſt retractata. 29.30
Scientia media nulla. 109
Scientia Dei non cauſatur à rebus. 128
Suaſiones nudæ non ſufficiunt. 138. 139. 140. 141. 142. 175.
Voluntas Dei determinat. 6
Eſt omnium rerum cauſa. 90. 91
Voluntas creata movetur à Deo. 10. 17.22. 25. 26. 27. 40.
Recipit influentiam & motum. 27. 35. 37. 45.54.55.95.157.158.159.160.177.
Dum agit mutatur. 40. 41
Eſt pediſſequa gratiæ. 153. 170

FINIS.

APPRO.

APPROBATIO.

HIc Tractatus cui titulus : *Explicatio doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici & communis, & confirmatio Theſium & Impertinentium ex eodem de motione primi motoris, &c.* Sancti Doctoris mentem, cujus doctrina probata eſt in Eccleſia, dilucidè proponere, & ſolidè confirmare mihi viſus eſt, ideoque cenſeo eum utiliter prælo commiti poſſe. Actum Duaci 18. Septembris 1609.

Georgius Colvenerius S. Theol. Doctor, & Regius ordinariuſque Profeſſor, ac librorum in Academia Duacena Viſitator & Cenſor.

PROËMIUM.

SICUT ſecretiſſima eſt operatio gratiæ Dei, ac ſoli ejus largitori plenè cognita; adeò ut S. Aug. lib. 2. contra litteras Petil. cap. 84. dicat : *Si tibi proponam quæſtionem, quomodò Deus Pater attrahat ad filium homines quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſſis eam difficile ſoluturus es : quomodò enim attrahit, ſi dimittit ut quis quod voluerit, eligat : & tamen utrumque verum eſt ; ſed intellectu hoc penetrare pauci valent* : Ita omnis Dei per ſuas creaturas operatio admodùm obſcura eſt, adeò ut idem Aug. fateatur lib. 8. de Geneſi ad litteram cap. 21. difficillimum eſſe intellectu, quomodò Deus nec per tempus, nec per locum motus, moveat temporaliter & localiter creaturam ſuam, ac deinde credendum dicat quod Deus tali modo creaturam ſuam moveat. In hac tamen de operatione Dei quæſtione, quatuor ſunt præcipua quæ hodie vocari ſolent in dubium. Primum eſt : An ſententia eorum qui docent Deum non concurrere in ſolum effectum, ſed etiam influere in cauſam, immediatè eam attingendo, movendo, applicando, ideoque prius naturâ determinando, ſit D. Thomæ? Secundum : An ſit vera : Tertium. Modus explicandi. Quartum eſt : Argumentorum ſolutio.

PRIMÆ PARTIS.

ARTICULUS I.

QUod ad primum attinet, pro indubitato habemus D. Thomam non aſſeruiſſe ſimultaneum Dei concurſum in effectus cauſarum ſecundarum, qui non ſit etiam in cauſas, ideoque concluſionem hanc ſtatuimus.

D. Thomas docuit Deum ita per creaturas operari, ut non ſolum effectus earum attingat, ſed etiam influat in ipſas cauſas, realiter ac phyſicè eas attingendo, movendo, determinando & prædeterminando. Et quia, teſte Philoſopho cap. 1. lib. de Interpretatione, ſcriptura eſt nota eorum quæ in voce verſantur, vox autem nota eſt conceptuum qui ſunt in anima proferentis; nec poſſumus ſcire quæ ſit mens D. Thomæ, niſi ex ejus verbis & ſcriptis; ideò mentis ejus ac doctrinæ per Pontifices maximos approbatæ perquàm ſtudioſi, illam ex verbis quæ nobis reliquit, debemus inquirere. 1. p. q. 3. art. 1. *Oſtenſum eſt* (inquit) *ſupra quod Deus eſt primum movens*: art. 2. *Deus eſt primum agens cum ſit prima cauſa efficiens*: art. 4. *Deum dicimus eſſe primam cauſam efficientem*: Quæſtione 4. art. 2. *Deus eſt prima cauſa effectiva rerum*: Quæſtione 6. art. 1. & quæſtione 14. art. 5. *Deus eſt prima cauſa*

Deus eſt primum movens.

cauſa effectiua omnium : & *Ad eum pertinet imponere aliis modum , ſpeciem & ordinem.* Similia ſunt lib. 3. contra gent. cap. 17. 18. 19. & 89. ubi etiam dicit Deum eſſe primum principium noſtrorum conſiliorum & voluntatum ; & eſſe cauſam non ſolùm voluntatis ſed etiam volendi. Sentit ergo D. Thomas Deum ita priùs. naturâ agere quàm creaturæ operentur , ut eas ad agendum determinet , quandoquidem imponat modum , ſpeciem , & ordinem agendi , ſitque primum agens , & primum efficiens. *Si dicas* Deum vocari primum agentem quia independenter agit : *Reſpondeo* Deum non ideo ſolum vocari primum agentem , primum efficientem , & primum moventem ; notum eſt enim primum movens & primum efficiens vocari illud quod primò agit & primò efficit , prioritate nimirum quinti modi , quo cauſa dicitur ſuo effectu prior. Si enim agens dicitur quod agit , cur non primum agens quod primò agit , ſicut ſecundum & poſterius quod poſterius agit ? Nequè eſt idem agere primò, & agere independenter : nam à B. Thomâ Deum agere independenter , & agere primò ponuntur ut diſtincta , ut patet ex his verbis quæſt. 3. art. 8. *Cum Deus ſit prima cauſa efficiens , eius eſt primò & per ſe* (.i. independenter) *agere.* Quæſt. autem 8. art. 1. Deum realiter attingere cauſam ita docet , *Deus eſt in omnibus rebus , ſicut agens adeſt ei in quod*

 agit ;

agit : oportet enim omne agens conjungi ei in quod immediatè agit, & ſua virtute illud contingere : ſed Deus comparatur ad omnem cauſam agentem ſicut agens; ergo ſuâ virtute omnem cauſam contingit; ideoque non concurrit in ſolum effectum, ſed influit in ipſam cauſam, quandoquidem ſuâ virtute illam contingit, & in eam immediatè agit: unde in reſponſione ad tertium dicit: *Hoc ad maximam virtutem Dei pertinet quod immediatè in omnibus* (ſive cauſis ſive effectibus) *agit*: & art. 2. *Deus*, inquit, *ſic eſt in omnibus rebus ut dans eis eſſe, & virtutem, & operationem.* Ex quibus manifeſtè ſequitur præterquàm quod Deus cauſis ſecundis virtutem dederit, quod etiam eas immediatè attingat; nec concurrat in ſolum effectum, ſed etiam in cauſam, quandoquidem ſit in eâ dans ei præter eſſe, & virtutem activam, etiam ipſam operationem.

Deus eſt in omnibus dãs eſſe, virtutem & operationem.

ARTICULUS II.

APertè autem creaturas à Deo determinari ad agendum aſſerit quæſt. 19. art. 3. ad 5. ubi ſi loquitur. *Cauſa quæ eſt ex ſe contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum*: & l. 3. contra Gent. c. 2. A contingente ad utrumque non ſequitur effectus niſi per aliquid determinetur ad unum. Ex quibus ſic licet argumentari. Omnis cauſa contingens determinatur

Cauſa contingens determinatur ab exteriori.

minatur ab aliquo exteriori:ſed etiam creatura rationalis & libera eſt cauſa contingens, ergo determinatur ab aliquo exteriori. Nec obſtat quod nonnulli reſpondeant hinc ſolum ſequi quod omnis creatura determinetur dependenter ab aliquo exteriori, Deus autem ſeipſum determinet independenter ab alio: hæc enim explicatio nova eſt, nec verbis Sancti Doctoris congrua: ipſe enim non aſſerit cauſam contingentem determinari dependenter ab alio, ſed abſolutè determinari ab alio; quæ duo ſunt longè diverſa: Nam in opinione negantium influentiam Dei in cauſas, agentia libera non determinantur ab extrinſeco, & tamen determinantur dependenter ab extrinſeco. Deinde ex argumento cui reſpondet D. Thomas, clarum eſt eum aſſerere, non ſolum quod cauſa contingens determinetur dependenter ab alio, ſed abſolutè quod inclinetur, & determinetur ab alio ipſam determinante: argumentum enim tale eſt: Ab eo quod eſt ad utrumlibet non ſequitur actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad unum: ſi ergo voluntas Dei in aliquibus ſe habet ad utrumlibet, ſequitur quod ab alio determinetur .i. quod aliquid aliud ipſam inclinet ac determinet, & ſic habet aliquam cauſam priorem. Cui argumento non erat ſatis dicere ſequi actionem à cauſa contingenti quando

determinatur dependenter ab alio, ſupereſſet enim explicare à quo ſic determinetur, an à ſe, an ab alio: Sed non poteſt intelligi quòd omnis cauſa contingens determinetur à ſe, licet dependenter ab alio, quia multæ ſunt cauſæ contingentes quæ non determinant ſeipſas, utpotè ratione carentes: ergo dum D. Thomas univerſaliter aſſerit eas determinari ab alio, non eſt intelligendum quòd determinentur à ſe quidem, ſed dependenter ab alio; ſed ſimpliciter quòd ab alio, præſertim cum ejus reſponſio contineat oppoſitionem inter cauſam contingentem & voluntatem Dei, quòd illa debeat ab alio determinari; hæc autem non ab alio, ſed à ſe ſolùm determinetur. Deinde prima propoſitio argumenti dicit non ſequi actionem ab eo quod eſt indifferens, niſi illud inclinetur ſeu determinetur ad unum ab alio, ſed B. Thomas eam concedit in cauſa indifferente, quæ eſt contingens; ergo requirit ut ab aliquo exteriori determinetur. *Si dicas* cauſam contingentem determinari concomitanter ab alio: Contra 1. Omnis determinans concomitanter tendit in ſolum effectum, ut explicare ſolent qui ſic loquuntur; ſed nullus determinans, de quo loquitur hic B. Thomas tendit in ſolum effectum, quia dicit ipſam cauſam determinari: ergo determinans de quo loquitur B. Thomas, non eſt determinans concomitanter

mitanter

mitanter. Secundo, determinare concomitanter concurrendo in ſolum effectum non eſt determinare: nam ex duobus trahentibus navem neuter alium determinat, etiamſi ambo ſimul concurrant in effectum. *Si dicas* non eſſe ſimile, quia Deus independenter operatur: Reſpondetur ſatis eſſe ſimile, quandoquidem Deus etiamſi independenter operans, non tamen magis operabitur in cauſa quam unus trahentium navem operetur in alio, ſi per ſimultaneum concurſum ſolum operetur in effectu & non in cauſa. Rurſum eâdem quæſtione 19. art. 4. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut agenti per naturam prædetermin etur finis, & media neceſſaria ad finem ab aliquo ſuperiori intellectu, ſicut ſagittæ prædeterminatur finis & certus modus à ſagittante, unde neceſſe eſt quod agens per intellectum & voluntatem ſit prius agente per naturam: unde cum primum in ordine agentium ſit Deus, neceſſe eſt quod per intellectum & voluntatem agat.* Et infra: *Effectus determinati ab infinitâ ipſius* (ſcilicet Dei) *perfectione procedunt ſecundum determinationem voluntatis & intellectus ipſius.* Quomodò hæc conſiſterent, ſi cauſas non determinaret? ideoque in quæſtione 6. de potentia art. 1. reſpiciens ad hunc locum, ait ſe dixiſſe quod Deus determinat naturam ad unum; quod ipſum de omnibus in univerſum rebus creatis ſatis ſignificat. 1. p. quæſtione 22. art. 2. dicens quod *cauſalitas Dei qui eſt primum agens ſic ex-*

Effectus determinati proveniunt ex determinatione voluntatis Dei.

ſe extendit uſque ad omnia entia; quod *omnia quæ habent quocunque modo eſſe, ſunt ordinata à Deo in finem*; quod *omnes cauſæ particulares concludantur ſub uniuerſali*: & art. 4. quod *ad diuinam prouidentiam pertinet omnes gradus entium producere*; quod *effectus diuinæ prouidentiæ non ſolùm eſt aliquid euenire quocunque modo, ſed aliquid euenire vel contingenter vel neceſſariò.*

Omnia ſunt à Deo ordinata.

ARTICULUS III.

SEd & quæſtione 23. art. 1. clarè aſſerit Deum ita prædeterminare, ut tamen non inferat neceſſitatem. Cum enim ſibi objeciſſet argumento 1. Nulla quæ ſunt in nobis Deus prædeterminat: ſed omnia merita & demerita ſunt in nobis, ergo nulla merita Deus prædeſtinat ſeu prædeterminat: concedere debebat primam propoſitionem ſi vera eſſet, præſertim cum ſit ex B. Damaſceno deſumpta: ſed quia illâ conceſſa argumentum efficaciter concludit Deum merita vel demerita non prædeterminare, quod eſt falſum; ideo reſpondet negando majorem; & ad Damaſcenum dicit, quod Damaſcenus *nominat prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis ſicut eſt in rebus naturalibus quæ ſunt ex naturâ ſuâ prædeterminatæ ad unum*: hoc eſt dicere: Deus quidem determinat ac prædeterminat voluntatem; ſed quia ſic prædeterminat, ut ipſa ex divinâ prædeterminatione non accipiat

Explicatur Damaſce.

neceſſi-

neceſſitatem, quomodò tamen bruta neceſſitatem accipiunt, ideo Damaſcenus negavit opera voluntatis prædeterminari, non quod abſolute non prædeterminentur, ſed quia non prædeterminantur ſic ut neceſſitentur. *Nominat ergo* (ait S. Thomas) *prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis*, non quod D. Thomas vel Damaſcenus ſentiant iſta duo æquivalere, ſed quia licet diverſa ſignificent, unum tamen loco alterius poſitum eſt, ut ſæpè contingit; ac nominatim dum libro 2. Damaſcenus dicit quod providentia ſit voluntas Dei, non vult unum æquivalere alteri, ſed hoc dicit quia providentia voluntatem includit & præſupponit ait B. Thomas in q. 5. de veritate art. 1. ad 1. In hunc etiam modum verba Damaſceni exponit dictâ quæſtione 5. de veritate art. 5. ad 1. & l. 3. contra gent. c. 90. Quâ expoſitione quid erat opus, ſi univerſaliter putaſſet verum eſſe quod Deus non prædeterminet, aut quod omnis prædeterminatio libertatem tollat? Sentit ergo Deum prædeterminare, primum quidem ab æterno per providentiam, ac poſtmodum in tempore per operationem; ſed ita, ut libertas non labefactetur. Et quia Alexander Alenſis ſimili modo eadem verba Damaſceni exponit, ideo idem eum ſentire dicemus, ſed jam in authoritatibus noſtri Sancti Thomæ maneamus.

Deus non ſic determinat ut neceſſitet.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Rom. 9. QUæſtione 83.art.1.ad 2. ita loquitur: *Verbum illud Apoſtoli* (Rom. 9. non eſt volentis velle, &c.) *non ſic eſt intelligendum quaſi homo non velit & non currat libero arbitrio, ſed quia liberum arbitrium adhoc non eſt ſufficiens niſi moueatur & juuetur à Deo*: ergo non repugnat libertati quod moveatur ab extrinſeco ut primo principio, ſcilicet Deo: præſertim cum ad libertatem ſufficiat, ut dicitur in reſp. ad 3. quòd *Liberum arbitrium ſit cauſa ſui motus, quia homo per liberum arbitrium ſeipſum mouet ad agendum; nec ſit de neceſſitate libertatis quòd ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt; ſicut nec adhoc quod aliquid ſit cauſa alterius, requiritur quòd ſit prima cauſa ejus. Deus igitur eſt prima cauſa mouens cauſas & naturales & voluntarias: & ſicut naturalibus cauſis, mouendo eas non aufert quin actus earum ſint naturales, ita mouendo cauſas voluntarias non aufert quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit, operatur enim in unoquoque* (ſcil. agente, ac proinde non in ſolo effectu) *ſecundùm ejus proprietatem*. Et quæſtione 103. art. 8. *Omnis inclinatio alicujus rei vel naturalis vel voluntaria, nihil aliud eſt quàm quædam impreſſio à primo mouente*: ergo cum primum movens dat cauſis naturalibus vel liberis ſuam inclinationem, in eas imprimit; ideoque non concurrit in ſolum effectum,

Liberũ arb. mouetur à Deo.

Deus mouet omnes cauſas.

ctum, ſed etiam influit in cauſam in quam imprimit.

ARTICULUS V.

Rurſum quæſtione 105. affirmat voluntatem efficaciter à Deo moveri, & ad effectus determinatos ordinari: Art. 1. ad 3. *Hoc ipſum quod cauſæ 2. ordinantur ad determinatos effectus, eſt illis à Deo*: quomodo actu ordinantur, ſi Deus actu non eas ordinet in eis operando? Ideo ſequitur quod *Deus cauſas ordinat* (utique realiter eas attingendo & in eis operando) *ad determinatos effectus*. & q. 6. de pot. art. 1. ad 19. dicit quòd *ordinatio cujuſlibet rei creatæ eſt à Deo*. & q. 5. de ver. art. 1. ad 4. quòd *Deus omnia ordinat*, & art. 2. quòd *res naturales ordinat in finem ad modum quo ſagittator dat ſagittæ certum modum ut tendat ad determinatum finem*. Neque putandum eſt Deum, qui eſt cauſæ ſingulariter præſens, concurrere in effectum ita ut non influat ſeu operetur in cauſa: Nam eo ipſo quo cauſas ſecundas movet, eas tangit virtuali contactu juxta illud art. 2. ad 1. dictæ q. 105. *Secundùm virtualem contactum tangit quidem movendo creaturas; ſed non tangitur, quia nullius creaturæ virtus naturalis poteſt ad ipſum pertingere*. Ecce docet Deum à creatura non tangi, eò quòd virtus creaturæ non pertingat ad Deum; & tamen Deum tangere creaturam quæ ab illo movetur, quia ſcilicet virtus Dei pertingit

Deus ordinat cauſas ad determinatos effectus.

Deus movēdo creaturā, tangit eā.

git ad eam : ergo ſentit Deum non concurrere tangendo ſolùm effectum, ſed virtute tangendo cauſam. Et art. 4. ejuſdem quæſtionis 105. poſtquàm duos modos aſſignavit quibus voluntas moveri poteſt, ſcilicet ab objecto, & ab eo qui cauſat virtutem volendi, infert quod *utroque modo proprium eſt Dei movere voluntatem : ſed maximè ſecundo modo eam interiùs inclinando* : & in reſponſione ad 1. *Deus*, inquit, *movendo voluntatem non cogit ipſam quia dat ei ejus propriam inclinationem*, quæ nihil eſt aliud quam actus voluntatis .i. velle, ut patet ex quæſtione 82. art. 2. & hoc art. 4. utrobique in corpore. Ad 2. autem, *moueri voluntariè eſt moueri ex ſe .i. à principio intrinſeco ; ſed illud principium intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco, & ſic moueri ex ſe non repugnat ei quod mouetur ab alio* : & ad 3. *Si voluntas ita moueretur ab alio quod ex ſe nullatenùs moueretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum vel demeritum, ſed quia per hoc quod mouetur ab alio non excluditur quod moueatur ex ſe ; ideo per conſequens non tollitur ratio meriti aut demeriti.* Similia ſunt in quæſt. 3. de mat. artic. 2. ubi ait, *cum aliquid ſeipſum mouet, non excluditur quin ab alio moueatur, &c. Sed objicies primo* : Deus dicitur movere voluntatem quatenùs ei dedit à principio virtutem volendi, ergo etiam ſi Deus non influat actu in illam, verum tamen erit quod

Moueri ex ſe & moueri ab alio non pugnant.

quod eam moveat, ac quidem quod ſpecialiter & ſolus, quia ipſe ſolus virtutem eam cauſavit. Ant. eſt D. Thomæ art. 3. *Movens* (ait) *dicitur quod dat formam quæ eſt principium motus*. Si reſpondeas hunc eſſe errorem Durandi dicentis Deum agere omnia ſolum mediatè quatenus dat & conſervat virtutem, ſtatim reſpondebitur quod authores hujus ſententiæ longè ſint ab illo errore, quia præter illam motionem requirunt concurſum Dei immediatum in effectus, quem Durandus negabat. *Reſpondeo* ergo quod uno quidem modo Deus cenſetur movens quatenus dat virtutem; ſed quando B. Thomas dicit Deum movere voluntatem aut intellectum, non loquitur de iſto modo: quærens enim an Deus operetur in omni operante, & affirmativè reſolvens, manifeſtè ſentit Deum in omni operante operari aliter quam dando & conſervando virtutem: hoc enim modo ſemper operatur, cum tamen ſpecialius operetur in operante quam in quieſcente, ſcilicet ipſum realiter attingendo, movendo, & faciendo operari: unde ſæpè ponit ut diſtincta, Deum dediſſe virtutem activam, & movere cauſam ſecundam ut ex 1. 2. q. 109. patebit, & clarum eſt ex hac q. 105. ar. 5. ubi ſic dicit. *Tertio conſiderandum eſt quod Deus mouet non ſolum res ad operandum quaſi applicando formas & virtutes rerum ad operationem, ſicut etiam*

etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum, qui tamen interdum formam ſecuri non tribuit, ſed etiam dat formam creaturis agentibus, & eas tenet in eſſe. Unde non ſolum eſt cauſa actionum in quantum dat formam quæ eſt principium actionis, ſicut generans dicitur eſſe cauſa motus gravium & levium: ſed etiam ſicut conſeruans & formas & virtutes rerum prout ſol dicitur cauſa manifeſtationis colorum, in quantum dat & conſeruat lumen quo manifeſtantur colores. Et quia forma rei eſt intra rem, & tantò magis quantò conſideratur ut prior & univerſalior, & ipſe Deus eſt propriè cauſa ipſius eſſe univerſalis in rebus omnibus quod inter omnia eſt magis intimum rebus: ſequitur quod Deus in omnibus (etiam cauſis) *intimè operetur.* Quibus verbis S. Doctor præterquàm quòd Deus det & conſervet virtutes activas cauſarum, dicit quòd eaſdem applicet: Sentit ergo Deum influere in cauſas ut agant, quomodò enim cauſas earumque virtutes applicaret, ſi non attingendo cauſam concurreret in ſolum effectum? *Objicies* 2. B. Thomas ibi non loquitur de applicatione prævià, ſed de concomitante & formali quâ Deus immediatè concurrit in ſolum effectum, ergò nihil eſt pro præmotione. *Reſpondeo* negando antec. certum enim eſt B. Thomam loqui de applicatione & motione Dei quâ Deus verè & propriè cauſas ſecundas ipſarumque virtutes movet & applicat: hoc enim eſt quod diſertis verbis aſſerit, *applicando* (ait) *formas & vir-*

Deus nõ ſolum cenſetur mouens quia dat formam.

Operatur in omnibus.

& virtutes rerum .i. cauſarum. *Objicies* 3. Si D. Thomas ſentit Deum operari per creaturas ſicut per inſtrumenta, ergo ignoravit cooperationem Dei immediatam, ideoque videbitur in errorem Durandi incidere, cujus tamen contrarium certum eſt. *Reſpondeo* inanem eſſe hanc objectionem: conſtat enim D. Thomam docêre quòd Deus utitur creaturis ſicut inſtrumentis eas applicando, & tamen ſimul docêre quòd omnia operetur immediatè: ex eo enim quòd Deus *ſit ſua virtus, & quòd ſit intra rem quamlibet, non ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut tenens rem in eſſe: ſequitur, quòd ipſe in quolibet operante immediatè operetur, non excluſâ operatione voluntatis & naturæ*. Ita B. Th. q. 3. de potentia art. 7. Et hunc ſecutus Cardinalis Toletus l. 2. Phyſicorum cap. 3. quæſtione 8. in eo docuit differre modum concurrendi Dei cum creaturis, & artificis cum inſtrumento, *quod artifex non tangit effectum niſi mediante inſtrumento: at Deus propter ſuam infinitatem immediatè tangit ſuâ virtute effectum quemcunque, cum ſit ubique eſſentiâ ſuâ præſentiſſimus*: & hinc eſt quod ſup. dixerimus ex S. Th. quod Deus tangat cauſam quando eam movet. *Objicies* 4. D. Thomas non dicit abſolutè quod Deus applicet formas, ſed hoc dicit cum particula (quaſi) quæ eſt velut diminuens. *Reſpondeo* primò, ſi velis particulam (quaſi) ſemper eſſe particulam diminuentem, debes dicere quòd etiam in ſcri-

Deus in omni operante operatur immediatè.

ſcripturâ Joannis 1. quaſi unigeniti à Patre, &c. ſit diminuens, quod eſt apertè falſum. *Secundò* R. neg. ant. quamvis enim in corpore art. 5. dicat, quaſi applicando (quod non dicit quia id non perfectiſſimè Deus faciat, ſed quia applicatio propriè eſt rerum corporearum) idipſum tamen abſolutè dicit in reſponſione ad 3. his verbis. *Deus non ſolum dat formas rebus, ſed etiam conſeruat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum.* Abſolutè etiam ſic locutus eſt lib. 3. cont. Gent. cap. 67. & alibi: & adeò non vult ſignificare aliquid imperfectum, ut dicat illo cap. 67. *quod omnis applicatio virtutis ad operationem eſt principaliter & primò à Deo.* Præterea cum dixiſſet art. 2. q. 106. voluntatem moveri poſſe vel ex parte objecti vel ex parte potentiæ, angelum autem non poſſe ſufficienter movere voluntatem alterius niſi per modum perſuadentis, ſubjunxit; *Ex parte verò ipſius potentiæ voluntas nullo modo poteſt moveri niſi à Deo: operatio enim voluntatis eſt inclinatio quædam volentis in volitum; hanc autem inclinationem ſolus ille immutare poteſt qui virtutem volendi creaturæ contulit.* Et q. 111. art. 2. *Cum motus voluntatis non ſit aliud quàm inclinatio voluntatis in rem volitam, ſolius Dei eſt ſic* (.i. ab interiori, ut patet ex præcedentibus) *immutare voluntatem qui dat naturæ intellectuali virtutem talis inclinationis.* & q. 115. ar. 4. docet quod nec cœlum nec Angelus poſſit voluntatem immutare: *Spirituales* (inquit in reſponſione

Deus applicat formas ad agẽdum.

penſione ad 1.) *ſubſtantiæ quæ cœleſtia corpora mouent in corporalia quidem agunt mediantibus cœleſtibus corporibus: ſed in intellectum humanum agunt immediatè illuminando: voluntatem autem immutare non poſſunt.* Unde & q. 111. art 2. ad 2. dicit quod *dæmones non poſſunt immittere cogitationes interius eas cauſando:* cujus ratio ſatis patet ex dictis, & ex q. 116. ar. 1. ubi dicit *Solus Deus poteſt voluntatem immutare, ut ſuprà habitum eſt* (quæſt. 105. art. 4. & q. 106. ar. 2. & q. 111. ar. 2.) *& per conſequens ordinatio humanorum actuum, quorum principium eſt voluntas, ſoli Deo attribui debet. Sic igitur in quantum omnia quæ hic aguntur divinæ providentiæ ſubduntur tanquam per eam ordinata, & quaſi prælocuta, fatum ponere poſſumus.* Et eſt obſervandum quod ibidem effectus omnes qui per accidens fiunt reducendos eſſe dicat in aliquam cauſam præordinantem quæ eſt providentia divina, quia ſcilicet illi ſubjiciuntur omnes effectus, non ſolum qui per ſe fiunt, ſed etiam qui per accidens. Ex quibus omnibus clariſſimum eſt D. Thomam ſentire quod Deus omnem cauſam moveat, voluntatem immutet, & omnes actiones etiam liberas ordinet ac præordinet: Si autem Deo eſt proprium movere & immutare voluntatem, quomodò non influit in cauſam, cum ipſa voluntas, quæ ab eo movetur & immutatur, cauſa ſit; Et ſi voluntas à Deo movetur & immutatur; quare Deus non

Solus Deus poteſt immutare volũtatem.

Omnia ſunt à Deo ordinata & quaſi prælocuta.

prius naturâ movet, cum movens & motum ſicut cauſa & effectus, prius & poſterius? Docet ergo B. Thomas Deum reſpectu omnium naturaliter aut liberè agentium eſſe movens; ideoquę dicendum eſt quòd prius naturâ per ipſa agat quam illa operentur .i. quod ea prædeterminet.

ARTICULUS VI.

PRima 2. quæſt. 1. art. 2. *Tota irrationalis natura comparatur ad Deum ſicut inſtrumentum ad agens principale.* Ad 3. *Manifeſtum eſt quòd particulares cauſæ moventur ab uniuerſali.* Si dicas quòd moventur moraliter per imperium, ut inſinuare videtur dicens *ſicut cum rector ciuitatis qui intendit bonum commune movet ſuo imperio omnia ſua particularia civitatis officia.* Reſponſio eſt prompta, quia irrationalis creatura de quâ loquitur non eſt capax imperii vel motionis iſtius metaphoricæ: ſed per exemplûm morale declarat ordinem rerum phyſicarum, ideoque non ſubjungit Deum movere per intellectum aut rationem cujus actus eſt imperium, ut dicitur quæſt. 17. ſed per voluntatem quâ Deus omnia quæ voluit fecit, quæque eſt cauſa phyſica omnium rerum: *Neceſſe eſt* (inquit) *quod omnia quæ carent ratione moueantur in fines particulares ab aliquâ voluntate rationali quæ ſe extendit in bonum uniuerſale, ſcilicet à voluntate diuinâ.* & art. 6. *manifeſtum eſt*

eſt quod cauſæ 2. *mouentes non mouent niſi ſecundum quod mouentur à* 1. *mouente.* & quæſtione 6. art. 1. ad 1. *Non omne principium eſt principium primum : licet ergò de ratione voluntarii ſit quod principium ejus ſit intra, non tamen eſt contra rationem voluntarii quod principium intrinſecum cauſetur* (nota) *vel moueatur ab exteriore principio; quia non eſt de ratione voluntarii quod principium ſit intrinſecum principium primum.* Ad 3. *Deus mouet hominem ad agendum non ſolum ſicut proponens ſenſui appetibile, vel ſicut immutans corpus, ſed etiam ſicut mouens voluntatem : quia omnis motus tam voluntatis quàm naturæ ab eo procedit ſicut à primo mouente : & ſicut non eſt contra rationem naturæ quod motus naturæ ſit à Deo ſicut à primo mouente, in quantum natura eſt quoddam inſtrumentum Dei mouentis : ita non eſt contra rationem actus voluntarii quod ſit à Deo in quantum voluntas à Deo mouetur : eſt tamen communiter de ratione naturalis & voluntari imotus quod ſint à principio intrinſeco.* Articulo . ad 1. *Deus qui eſt potentior quàm voluntas humana, poteſt voluntatem mouere ſecundum illud.* Proverb. 21. *Cor regis in manu Dei eſt : & quocunque voluerit inclinabit illud* Quæſtione 9. articulo 4. ad 1. *De ratione voluntarii eſt quod principium ejus ſit intra, ſed non oportet quod hoc principium intrinſecum ſit primum principium non motum ab alio. Unde motus voluntarius etſi habeat principium*

Cauſa 2. non mouent niſi moueantur à Deo.

Volũtas à Deo mouetur.

 proxi-

proximum intrinſecum tamen, principium primum eſt ab extra; ideoque nihil mirum eſt ſi ab illo primo principio moveri poteſt à quo eſt datum. Si dicas hinc ſequi motum illum fore violentum, quia eſt ab extrinſeco: reſpondet idem S. Doctor ad 2: dicens: *Non ſufficit ad rationem violenti quòd principium ſit extra, ſed oportet addere quòd nullam conferat vim patiens: quod non contingit, dum voluntas ab exteriori movetur; nam ipſa eſt quæ vult, ab alio tamen mota.*

Licet voluntas à ſeipſa moueatur, indiget tamen moueri ab exteriori ſc. à 1. mouente.

Quod autem non intelligat eam moveri ab authore naturæ quatenus ille principium agendi dedit & conſervat, ſed quatenus noviter eam movet ut de novo jam velit illud, quod prius nolebat, manifeſtum eſt ex argumento 3: ubi ex eo quod voluntas ſufficienter movet ſeipſam ad volendum (ſcilicet id quod prius non volebat) inferebatur quòd non moveatur ab exteriori: & ad illud reſpondetur *quod voluntas quantum ad aliquid ſufficienter ſe mouet, & in ſuo ordine, ſcilicet ſicut agens proximum: ſed non poteſt ſeipſam mouere quantum ad omnia, ut oſtenſum eſt: unde indiget moueri ab alio ſicut à 1. mouente*: hoc autem oſtenſum eſt in corpore articuli, ubi clarè docet voluntatem debere moveri ab aliquo exteriore ad exercitium: *Eo, inquit, modo quo voluntas mouetur quantum ad exercitium actus, adhuc neceſſe eſt ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moueri: omne*

enim

enim quod quandóque eſt agens in actu & quandóque in potentia, indiget moueri ab aliquo mouente; quod ſcilicet actu & reipſa ipſum de novo moveat & de potentia reducat in actum: *Manifeſtum eſt autem quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc priùs non vellet; neceſſe eſt ergo quòd ab aliquo moueatur ad volendum: & quidèm ſicut dictum eſt, ipſa mouet ſeipſam in quantum per hoc quòd vult finem, reducit ſeipſam ad volendum ea quæ ſunt ad finem, hoc autem non poteſt facere niſi conſilio mediante. Cùm enim aliquis vult ſanari, incipit cogitare quomodò hoc ſequi poſſit, & per talem cogitationem peruenit ad hoc quod poteſt ſanari per medicum: & hoc vult: Sed quia non ſemper ſanitatèm actu voluit, neceſſe eſt quòd inciperet velle ſanari ab aliquo mouente: & ſiquidem ipſa moueret ſeipſam ad volendum, oportuiſſet quòd mediante conſilio hoc ageret ex aliquâ voluntate præſuppoſitâ: hoc autem non eſt procedere in infinitum: unde neceſſe eſt ponere quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris mouentis, ut Ariſtoteles concludit.* Eâdem prorsùs deductione probat idem S. Thomas in quæſt. diſput. quæſtione 6. dè electione humana artic. 1. & lib. 3. contra Gent. cap. 89. Deum ita eſſe primum principium noſtrorum conſiliorum & voluntatum ut voluntatem moveat ſecundùm ejus conditionem, non ut ex neceſſitate ſed ut indeterminatè ſe

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

 haben-

habentem ad multa. Sed contrà, movet eam indeterminatè, ergò non determinat illam. R. N. Ant. Senſus enim verborum D. Tho. eſt quòd Deus non movet voluntatem ut ex natura ſua determinatam ad unum, ſed ut ex natura indifferentem & indeterminatè ſe habentem ad multa: verùm quia eam indeterminatam ad multa movet ad unum, facitque ut unum ex multis velit, ideo determinat ad unum: non enim eſt aliud determinare quàm efficaciter movere: determinat autem ſicut movet, non ex neceſſitate, ſive non inferens neceſſitatem, ut aperte docet 1. 2. q. 10. art. 4. his verbis: *Quia voluntas eſt activum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa; ſic Deus ipſam movet quòd non ex neceſſitate ad unum determinat, ſed remanet motus ejus contingens, & non neceſſarius, niſi in his ad quæ naturaliter movetur. Verùm objicies* 1. D. Thomas hoc loco docet duo, ſcilicet voluntatem non determinari, & non determinari ex neceſſitate. 2. Secundum D. Thomam & veritatem tantundem valent non determinari ad unum, & non determinari ex neceſſitate ad unum, ergò hic locus nihil ad rem facit. ℞. utrumque antecedens eſſe manifeſtè falſum. Dicit quidem voluntatem eſſe activum principium non determinatum ad unum, ſed ſicut indè non ſequitur quòd non determinetur à ſeipſa

Deus determinat voluntatem, ſed non ex neceſſitate.

quan-

quandò operatur ; ità nec ſequitur quòd non determinetur à Deo : Undè nec D. Thomas hoc dixit, ſed quòd ſic *Deus ipſam mouet quòd non ex neceſſitate ad unum determinet* .i. ut maneat motus ejus contingens & non neceſſarius. Significat ergò D. Thomas quòd Deus voluntatem movens eam determinet ad id ad quod eam movet, licet non ex neceſſitate : quod patet etiam ex reſponſione ad 3. ubi dicit : *quòd ſi Deus mouet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni quod voluntas ad id non moueatur : non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter; undè non ſequitur quòd voluntas à Deo ex neceſſitate moueatur.* Et eſt obſervandum, hæc duo, non eſſe principium determinatum, & non determinari, eſſe longè diverſa; cùm illud ſit naturæ, hoc actualis ad agendum applicationis ſeu à ſe ſeu ab alio. Quod & ſecundum antecedens falſum ſit, quodque hæc duo non æquivaleant, non determinari & non determinari ex neceſſitate, liquet in ſimilibus quæ non poſſunt dici æquivalêre, ut non moveri, & non moveri ex neceſſitate. Nam & B. Thomas quæſt. 6. de malo art. 1. & alibi dicit voluntatem non ex neceſſitate moveri, cum tamen aſſerat ſæpiſſimè eam moveri : ſimiliter non ſcribere & non ſcribere ex neceſſitate, non ambulare & non ambulare ex neceſſitate, longè diverſa ſunt : ergo & hæc non determinari & non determinari

 ex

ex neceſſitate. Sed & ex ipſo D. Th. id patere poteſt, qui ut ſuprà oſtendimus licet concedat Deum determinare, negat tamen determinare ex neceſſitate: & quemadmodùm B. Thomas dicit quòd Deus voluntatem non ex neceſſitate determinat, ſic abſolutè dicit 1. p. q. 82. art. 2. quòd voluntas non ex neceſſitate determinetur ad unum. Si ergo idem eſt non determinari & non determinari ex neceſſitate, ſequetur voluntatem non determinari, ne quidem à ſeipsâ.

ARTICULUS VII.

Etiamſi homo moueatur à Deo tanquã inſtrumẽtum, liberè tamen ſeipſum mouet.

Quæſtione 21. art. 4. ad 2. *Homo ſic mouetur à Deo ut inſtrumentum, quod tamen non excludit quin moueat ſeipſum per liberum arbitrium, ideò per actum ſuum meretur vel demeretur apud Deum.* Quæſtione 51. articulo 4. ad 2. *Deus in omnibus operatur ſecundùm modum eorum.* Quæſtione 75. articulo 3. *Voluntatem interius mouere non poteſt niſi ſolus Deus.* Quæſt. 80. art. 1. dicens voluntatem à duobus moveri, ſcilicet ab objecto, & ab eo quod interius inclinat voluntatem ad volendum, hunc modum movendi proprium eſſe dicit Deo & voluntati. Ne autem putetur loqui de motione morali quâ Deus voluntatem inclinet per ſuaſiones cõgruas, ſubjungit quod volũtatem moveri ex parte objecti (quod eſt moueri moraliter) tribus modis poteſt intelligi. 1. ab objecto pro-

propoſito. 2. ut à proponente vel offerente objectum. 3. ut à perſuadente rationi: Ergo aliud eſt B. Thom. voluntatem moveri ab eo quod interius inclinat quàm moveri moraliter perſuaſiones rationi adhibitas, quandoquidem hos modos proponat velut à ſe invicem diſtinctos, motionemque moralem ſive ſuaſoriam includat ſub motione ex parte objecti, non autem ſub motione quæ fit ab interius inclinante. Deinde cum quæſt.80. art. 1. ſibi oppoſuiſſet hoc argumentum: Sicut Deus eſt perfector boni, ita diabolus eſt perfector mali; ſed Deus eſt directè cauſa bonorum noſtrorum, ergo diabolus eſt directè cauſa peccatorum noſtrorum. Reſpondet quòd *ſimilitudo illa eſt attendenda quantum ad hoc quod diabolus quodam modo eſt cauſa peccatorum noſtrorum, ſicut Deus eſt aliquo modo cauſa bonorum noſtrorum; non tamen attenditur quantum ad modum cauſandi; nam Deus cauſat bona interius movendo voluntatem quod diabolo convenire non poteſt.* Similiter reſp. quæſt. 3. de malo art. 3. ad 15. Longè ergò aliud eſt movere voluntatem quàm perſuadere, quandoquidem ſuaſio fiat rationi non voluntati, & diabolus perſuadere poſſit, non tamen movere interius.

Deus movet volũtatem interius.

ARTICULUS VIII.

Sed & quæſt. 109. clariſſimè docet quòd Deus voluntatem creatam realiter & phyſice moveat ità ut ſine illâ motione non

non poſſit operari: Et ne dicas Deum ab eo vocari motorem, cenſerique movere quatenus virtutem activam dedit & conſervat, diſertè docet quòd præter virtutem quam dedit Deus, neceſſe ſit ut moveat, ergò movere aliud eſt quàm virtutem dare. Verba ejus ſunt art. 1. *Quantumcumque natura aliqua corporalis vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in actum ſuum procedere niſi moueatur à Deo: quæ quidem motio eſt ſecundùm ſuæ prouidentiæ rationem non ſecundùm neceſſitatem naturæ, ſicut motio corporis cœleſtis. Non ſolùm autem à Deo eſt omnis motus ſicut à primo mouente, ſed etiam ab ipſo eſt omnis formalis perfectio ſicut à primo actu. Sic igitur actio intellectus & cujuſcunque entis creati dependet à Deo quantum ad duo, uno modo in quantum ab ipſo habet perfectionem ſiue formam per quam agit; alio modo in quantum mouetur ab ipſo ad agẽdum.*

Aliud eſt Deũ mouere quã uirtute datam cõſeruare.

Ubi nota quòd dicit ipſum intellectum & quodcumque ens creatum à Deo moveri, ut proinde neceſſe ſit hæc intelligere de motione & applicatione non formali quæ eſt in ſolùm effectum, ſed de præviâ quæ eſt in cauſam: non enim movet Deus cauſam niſi attingendo cauſam. Articulo etiam 2. manifeſtè ponit ut diſtincta Deum dediſſe virtutem agendi & movere. *Virtute*, inquit, *gratuitâ ſuperadditâ virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad unum, ſcilicet ad operandum & volendum bonum ſupernaturale: ſed in ſtatu naturæ corruptæ quantum ad duo,*

duo, ſcilicet ut ſanetur & bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium. Ulteriùs autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio diuino, ut ab ipſo moueatur ad benè agendum: quod ipſum repetit art. 3. & 4. inferens quòd *homines indigent in utroque ſtatu auxilio Dei mouentis ad mandata implenda.* Et art. 6. *Homo,* inquit, *non poteſt ſe præparare ad lumen gratiæ niſi per auxilium gratuitum Dei interius mouentis.* Item: *nihil homo poteſt facere niſi à Deo moueatur.* Art. 9. *Homo ad rectè viuendum dupliciter auxilio Dei indiget: uno quidem modo quantum ad aliquod habituale donum, &c. Alio modo indiget homo auxilio gratiæ ut à Deo moueatur ad agendum. Quantum igitur ad primum auxilii modum, homo in gratia exiſtens non indiget alio auxilio gratiæ quaſi aliquo alio habitu infuſo; indiget tamen auxilio gratiæ ſecundùm alium modum ut ſcilicet à Deo moueatur ad rectè agendum.* Similiter quæſt. 110. art. 2. docet hominem dupliciter juvari à Deo, *uno modo in quantum anima hominis mouetur à Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum: & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ: actus enim mouentis in moto eſt motus, ut dicitur in 3. Phyſicorum: Alio modo adjuvatur homo ex gratuitâ Dei voluntate ſecundùm quod aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur.* Et poſteà. *Creaturis naturalibus ſic prouidet ut non ſolum moueat eas ad actus naturales, ſed etiam largiatur eis formas & virtutes quaſdam quæ ſunt*

Deus mouens animā imprimit illi motum nō qualitatem.

ſunt principia actionum. Item quæſt. 112. art. 2. dicit quòd *quæcunque præparatio in homine eſſe poteſt, eſt ex auxilio Dei mouentis animam; & ſecundùm hoc ipſe bonus motus liberi arbitrii quo quis præparatur ad donum gratiæ ſuſcipiendum eſt actus liberi arbitrii moti à Deo* Art. 3. *Præparatio hominis ad gratiam eſt à Deo, ſicut à mouente; à libero autem arbitrio ſicut à moto:* ubi etiam addit quod Deus moveat cor hominis. Et quæſt. 113. art. 3. *In eo,* inquit, *qui habet uſum liberi arbitrii, non fit à Deo motio ad juſtitiam abſque motu liberi arbitrii, ſed ita infundit donum gratiæ juſtificantis quòd etiam ſimul cum hoc mouet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his qui ſunt motionis capaces.* Art. 4. dicit *quòd Deus mouet animam hominis conuertendo eam ad ſeipſum.* Ecce his omnibus locis euidenter docet duo, primum quòd Deus, & hominem, & animam, & quaſlibet cauſas moveat: Secundùm, quòd non ſolum ſit motor ac movens quatenùs dedit virtutem activam, ſed etiam quia ipſas cauſas virtutem habentes movet ut operentur. Undè ſequitur primò quòd non concurrat in ſolum effectum, ſed etiam quod influat in cauſam, quomodò enim moveret cauſam quam non tangeret? 2. ſequitur quòd cauſam præmoveat. Nam *motio mouentis præcedit motum mobilis ratione & cauſâ,* inquit idem lib. 3. contra Gent. cap. 149.

ARTI-

ARTICULUS IX.

PRiuſquàm teſtimonia ex quæſtionibus à B. Thom. diſputatis proferamus, præmittendum eſt quòd in eis concurſum multaneum in ſolum effectum ità maniſtè negavit, ut illius aſſertores uno loco uæſt. 3. art. 7. de potentiâ preſſi, non aliam abeant reſponſionem quàm quòd D. Thoas eum locum retractaverit. Ita reſpondet uarez in ſuâ Metaph. & qui nunc eum ſeuuntur: quod ſi verum foret, mirum hoc b aliis antiquioribus Scholaſticis non eſſe bſervatum. Itaque pro indubitato eſt haendum quòd eum locum B. Thomas non etractaverit. Probatur 1. ex ipſis Conimricen. qui lib. 2. Phyſ. quæſt. 13. artic. 1. on leviter ſed ſeriò agnoſcunt D. Thoam docuiſſe neceſſariam eſſe præmotioem Dei in cauſis 2. ut agant. Eum autem oc docuiſſe probant tum ex hoc loco q. 3. le potentia, tum ex 1. parte quæſt. 105. & x 1. 2. quæſt. 109. Quæ autem ratio cur ıni Suarez credant potiùs quàm toti collegio ſuorum Conimbricen. cùm plus vileant oculi quàm oculus? 2. Probatur, uià nullus eſt locus in omnibus ejus libris n quo retractationis iſtius appareat veſtigium. Locus enim 1. p. q. 105. art. 5. ad oc proferri ſolitus, tantùm abeſt ut retractationem indicet, quin potiùs eandem ſententiam confirmat, ſi Conimbricen.

creditur

creditur & Molinæ diſput. 26. ſuæ concordiæ. Imò & hoc ipſum nos ſup. docuimus. Denique confirmatur, quia iſta quæſt. 3. de pot. aſſignat quatuor modos quibus Deus eſt cauſa actionis creaturæ, 1. quià tribuit virtutem, 2. quià conſervat, 3. quià movet & applicat, 4. ſicut principale agens eſt cauſa actionis inſtrumenti: Atqui etiam his omnibus modis partim in ſumma Theologica, partim in ſumma contrà Gentiles & alibi, docet Deum eſſe cauſam actionis creaturæ, ergò quæ dixit in quæſt. de potentia non retractavit ſed confirmavit. Minor probatur, quià q. 105. 1. p. docet Deum dare eſſe creaturis, & conſervare, & applicare virtutes earum ſicut artifex applicat ſecurim, & omnia agere in virtute Dei: qui modi ſunt iidem cum illis quos enumerat in fine corp. art. 7. quæſt. 3. de potentia ut ex verbis patebit. Et lib. 3. contrà Gent. cap. 67. & 70. docet Deum dare virtutem agendi, eandem conſervare & applicare, & omnia agere in virtute ejus ſicut inſtrumentum agit in virtute principalis agentis: & multis aliis locis aſſerit Deum operari per creaturas ſicut agens principale operatur per inſtrumentum, ut patet ex dictis & patebit ex dicendis. *Dices in* 1. p. non meminit virtutis intentionalis, quam tamen aſſerit in q. 3. de potentia, ergò cenſendus eſt eam improbare. R. N. C. quià tam in 1. p quàm alibi conſtanter
aſſerit

aſſerit illum eundem modum operandi quem ibi aſſeruerat in reſp. ad 3. argumentum art.7. ille autem modus eſt is quo dixerat omnes cauſas agere ut inſtrumenta primæ cauſæ: hunc autem etiam aſſerit tam in locis jam dictis quàm opuſculo 1.cap.23. ut ex verbis poſtea citandis patebit. Neque fuit neceſſe virtutem illam ſæpius nominare, quandoquidem modus operandi ſatis nominatus eſt, nec putandum ſit quòd virtus illa ſit aliqua forma quæ ab actione realiter diſtinguatur, ut poſteà oſtendemus. Hoc ergo fundamento poſito videamus quot & quibus modis B. Thomas hic aſſeruerit Deum eſſe cauſam actionis creaturarum. *Sciendum eſt*, inquit, *quod actionis alicujus rei res alia poteſt dici cauſa multipliciter. Uno modo quià tribuit ei virtutem operandi, ſicut dicitur in 8. phyſicorum, quòd generans mouet graue & leue, in quantum dat virtutem per quam conſequitur talis motus. Et hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ, quià dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere poſſunt, non ſolum ſicut generans virtutem tribuit graui & leui & eam ulterius non conſeruat, ſed ſicut continuè tenens virtutem in eſſe, quia eſt cauſa virtutis collatæ non ſolum quantum ad fieri ſicut generans, ſed etiam quantum ad eſſe ut ſic poſſit dici Deus cauſa actionis in quantum cauſat & conſeruat virtutem naturalem in eſſe: nam etiàm alio modo conſeruans virtutem, dicitur facere actionem, ſicut dicitur quod medicinæ conſeruantes viſum, faciunt videre.*

videre. Sed quia nulla res per ſeipſam mouet vel agit niſi ſit mouens non motum. 3. modo dicitur una res eſſe cauſa actionis alterius in quantum mouet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio aut conſeruatio virtutis actiuæ, ſed applicatio virtutis ad actionem, ſicut homo cauſa eſt inciſionis cultelli ex hoc ipſo quod applicat acumen cultelli ad incidendum mouendo ipſum. Et quia natura inferior agens non agit niſi mota, eo quod hujuſmodi corpora inferiora ſint alterantia alterata, cœlum autem eſt alterans non alteratum, & tamen non eſt mouens niſi motum; & hoc non ceſſat quouſque perueniatur ad Deum; ſequitur de neceſſitate quòd Deus ſit cauſa actionis cujuſlibet rei naturalis ut mouens & applicans virtutem ad agendum (ecce modus quem retractatum volunt, cum tamen aſſeratur etiam 1. p. q. 105. art. 5.) *Sed ulterius inuenimus ſecundùm ordinem cauſarum eſſe ordinem effectuum, quod neceſſe eſt propter ſimilitudinem effectus & cauſæ. Nec cauſa ſecunda poteſt in effectum cauſæ primæ per virtutem propriam, quamuis ſit inſtrumentum cauſæ primæ reſpectu illius effectus: Inſtrumentum enim eſt cauſa quodammodò effectus principalis cauſæ non per formam vel virtutem propriam, ſed in quantum participat aliquid de virtute principalis cauſæ per motum ejus, ſicut dolabra non eſt cauſa rei artificiatæ per formam vel virtutem propriam, ſed per virtutem artificis à quo mouetur, & eam quoquo modo participat. Unde 4. modo unum eſt cauſa actionis alterius ſicut principale eſt cauſa actionis*

Deus mouet & applicat virtutē actiuam cauſæ 2.

actionis inſtrumenti. Et hoc modo etiam oportet dicere quod Deus eſt cauſa omnis actionis rei naturalis. Et mox. *Sic ergo Deus eſt cauſa omnis actionis pro ut quodlibet agens eſt inſtrumentum divinæ virtutis operantis.* Et in fine corporis. *Sic ergo Deus eſt cauſa actionis cujuſlibet in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conſeruat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit: & cum conjunxerimus his quod Deus ſit ſua virtus; & quod ſit intra rem quamlibet non ſicut pars eſſentiæ ſed ſicut tenens rem in eſſe, ſequetur quod ipſe in quolibet operante immediatè operetur non ſeclusâ operatione voluntatis & naturæ.* *Quodlibet agẽs eſt inſtrumẽtũ Dei.* Quibus omnibus quid clarius dici poteſt ad docendum Dei præmotionem in creaturis ita eſſe neceſſariam ut ſine eâ nequeat agere? *Dices*, B. Thomas hîc ut diſtincta ponit Deum applicare, & agere per cauſas ſicut per inſtrumenta, ipſaſque agere in virtute Dei. Ergo dum invenitur ſolum dicere quod applicat, intelligendus eſt de applicatione formali non autem de prævia. *R. N. C.* quia applicatio formalis non eſt ea quâ Deus activè cauſam attingit, ſed quâ ſimul cum eâ coëfficit effectum, B. autem Thomas ſemper dicit ipſam cauſam ejuſque virtutem applicari ad agendum ſive ad operationem; ergo applicatio de qua loquitur eſt illa quâ Deus ita cauſaliter attingit cauſam ut eam moveat, applicet & agere faciat. Sicut enim hic in 3. modo dixit

quod Deus movet & applicat virtutem, ita in prima parte dicit quòd *Deus non ſolum dat formas rebus ſed etiam conſeruat eas in eſſe & applicat eas ad agendum.* Petes quare ergo illos modos diſtinctè numeravit? Reſpondetur, quia ſunt diſtincti, cum poſterior ſemper aliquid includat, quòd non erat incluſum in priori. Agere enim in virtute alterius plus dicit quàm applicari, applicat enim aliquis ignem ad comburendum, qui tamen non comburit in virtute ejus, qui illum appoſuit. Deinde per applicationem applicans eſt cauſa illius effectus qui eſt inſtrumento proprius; ſicut homo eſt cauſa inciſionis quæ eſt cultello propria: Illud autem in cujus virtute agitur, ita cauſat actionem inſtrumenti ut faciat inſtrumentum non ſolùm cauſare effectum ſibi proprium, ſed etiam cauſare effectum ipſi principali agenti proprium, ſicut dolabra eſt cauſa rei artificiatæ, & non tantùm ſciſſionis ſibi propriæ.

ARTICULUS X.

Deus & creatura dū operātur ordinātur ſecundum prius & poſterius.

SEd ad argumenta ejuſdem art. 7. veniamus: Ibi enim eandem prioritatem cauſalitatis Deo tribuit. *Ad* 4. inquit, *dicendum quòd tam Deus quàm natura immediatè operantur, licet ordinentur ſecundùm prius & poſterius ut ex dictis patet*: Ubi ſcilicet dixerat in corpore quòd *virtus cauſæ primæ prius agit in cauſatum & vehementius ingreditur in ipſum*

ſum. Ad 5. *De ratione virtutis inferioris eſt quòd ſit aliquo modo operationis principium in ſuo ordine, i. Ut agat ut inſtrumentum ſuperioris virtutis.* Ad 6. *Deus non ſolùm eſt cauſa operationis naturæ ut conſeruans virtutem naturalem in eſſe, ſed aliis modis, ut dictum eſt*, ſcilicet in corpore. Ad 7. *Virtus naturalis quæ eſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis ut quædam forma habens eſſe ratum & firmum in natura, ſed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, eſt ut intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum per modum quo colores ſunt in aëre & virtus artis in inſtrumento artificis. Sicut ergo ſecuri per artem potuit dari acumen ut eſſet forma in eâ permanens, non autem dari ei potuit quòd vis artis eſſet in ea quaſi quædam forma permanens, niſi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri virtus propria ut forma in ipſa permanens, non autem vis quâ agit ad eſſe ut inſtrumentum primæ cauſæ niſi daretur ei quòd eſſet uniuerſale eſſendi principium: Nec iterum virtuti naturali potuit conferri ut moueret ſeipſam, nec ut conſeruaret ſe in eſſe. Unde patet quòd ſicut inſtrumento artificis conferri non potuit quòd operaretur abſque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit quòd operaretur abſque motione diuina.* Circa quæ verba eſt obſervandum quòd D. Thomas non requirat in cauſa antequàm agat formam aliquam ſeu qualitatem cauſæ inhærentem, ſed ſolùm requirit motionem quæ ab eo nunc vocatur virtus

 inten-

intentionalis, nunc motio, quia habet eſſe incompletum in ipſa cauſa 2. & in ea non eſt permanenter ſed tranſeunter, quia ſcilicet per hoc quod ipſa moveatur, egreditur ab illa actio: de qua re alibi recurret dicendi locus. Ad 12. Ubi reſpondet ad locum Eccleſiaſtici 15. dicit quòd *Deus non dicitur hominem dereliquiſſe in manu conſilii ſui quin in voluntate operetur, ſed quia voluntati dedit dominium ſui actus, ut non eſſet obligata* (naturaliter) *ad alteram partem contradictionis quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per ſuam formam ſit* (naturali neceſſitate) *determinata ad unum.* Et quæſtione 5. de veritate articulo 5. ad 4. *Deus,* ait, *dimiſit hominem in manu conſilii ſui in quantum conſtituit eum propriorum actuum proviſorem: ſed tamen providentia hominis de ſuis actibus non excludit divinam providentiam de iiſdem ſicut neque virtutes activæ creaturarum excludunt virtutem activam divinam.* Si autem Deus eſt primus proviſor, ergo eſt primus cauſans, quia providentia eſt cauſa rerum ut docet 1. part. quæſt. 22. & lib. 3. contra Gent. cap. 75. & 163. & quæſtione 5. de veritate. Sed ut ſcias quod nullatenus retractaverit ea quæ dixit quæſtione 3. de potentia, confer ea quæ de eadem ſcriptura dixit lib. 3. contra Gent. cap. 90. Ubi dicit quòd *hæc verba ad hoc inducuntur ut homines eſſe liberi arbitrii oſtendantur, non ut eorum electiones à divina providentia ſubtrahantur:*

Locus eccleſiaſtici 15. expenditur.

ur : quæ proinde eas & ordinare & cau-
are poteſt. Et 1. parte quæſtione 22. arti-
ulo 2. ad 4. *In hoc*, ait, *quod dicitur Deum*
ominem ſibi reliquiſſe, non excluditur homo à
iuina prouidentia, ſed oſtenditur quod non ei
ræfigitur virtus operatiua determinata ad u-
um ſicut rebus naturalibus, quæ aguntur tan-
um quaſi ab altero directæ in finem, non au-
em ſeipſa agunt quaſi dirigentia in finem, ut
reaturæ rationales per liberum arbitrium quo
onſiliantur & eligunt. Sed contra objicies : Si
oluntas eſt domina ſui actus, ergo non
lebet à Deo moveri vel determinari, ſed
oteſt agere quando vult Deo in ipſam
ion operante. ℞. N. *Conſ. quia dominium*
uod habet voluntas ſuper ſuos actus per quod
i ejus eſt poteſtate velle & non velle, exclu-
it determinationem virtutis ad unum (quâ
irtus ſit naturaliter ad unum determi-
iata ſicuti eſt in brutis) *& violentiam cau-*
æ exterius agentis : non autem excludit in-
luentiam ſuperioris cauſæ à quâ eſt ei eſſe &
perari. Ita B. Thom. lib. 1. contra Gent. *Deus*
ap. 69. Quibus conformiter loquitur in *influit*
ioc articulo 7. quæſt. 3. de potentia ad 13. *in cau-*
nquiens *quod voluntas dicitur habere domi-* *ſam.*
ium ſui actus non per excluſionem cauſæ 1.
ed quia cauſa 1. *non ita agit in voluntate ut* *Deus nõ*
am de neceſſitate ad unum determinet, ſicut *determi-*
leterminat naturam ; & ideo determinatio a- *nat vo-*
tus relinquitur in poteſtate rationis & vo- *luntatẽ*
untatis. Ex quibus verbis nota Deum *ex ne-*

 ita

ceſſitate i. determinat ſed non neceſſitando,

ita determinare voluntatem, ut tamen non determinet neceſſitatem inferendo, ſed relinquendo in poteſtate voluntatis ut Deo ipſam determinante ſimul etiam ipſa ſe determinet. Verum 2.. obſervandum eſt non ſequi: voluntas habet in poteſtate ſeipſam determinare, ergo Deus non determinat ipſam: nam voluntas habet in ſua poteſtate ſeipſam determinare, ſed ſuppoſitâ ſemper Dei motione ac determinatione, tanquàm 1. cauſæ: Unde idem B. Thomas 1. parte quæſtione 83. artic. 1. ad 4. *Electiones*, inquit, *ipſæ ſunt in nobis*, .i. in noſtra poteſtate, *ſuppoſito tamen divino auxilio*: & reſponſione ad 2. dixerat liberum arbitrium non eſſe ſufficiens ad velle & currere niſi moveatur & juvetur à Deo: Et hoc loco clarè aſſerit voluntatem habere dominium ſui actus, non tamen cum excluſione cauſæ primæ, ut ſcilicet verum ſit illud Auguſtini *Deus magis habet in poteſtate voluntates hominum quàm ipſi ſuas. Sed objicies*, B. Thomam hîc loqui de formali determinatione, ſive de actione quâ voluntas ſeipſam determinat, non autem de prædeterminatione, alioquin enim non determinaretur à ſe ſed à Deo. *R. Negand. antec.* 1. quia expreſsè dicit B. Thomas quòd cauſa 1. determinat voluntatem quæ eſt cauſa. 2. quia ſi hoc verum foret, nec Suarez, nec alii contenderent eum retractaſſe ea verba. 3. di-

Electiones ſunt in noſtra poteſtate, ſuppoſito tamē Dei auxilio.

cimus

:imus voluntatem determinari à ſe ut cau-
a 2. & à Deo ut cauſa 1. ſicut movetur à
e & à Deo 1. 2. quæſtione 9 articulo 4. ad
;. Denique dùm in argumento 14. quæ-
'eret quomodò voluntas eſt libera, ſi non
ɔoteſt agere, niſi Deo in ipſam agente,
Reſpondit quòd *non quælibet cauſa excludit
'ibertatem, ſed ſolùm cauſa cogens: ſic au-
;em Deus non eſt cauſa operationis noſtræ, qui*
(ut ait 1. parte quæſtione 83. articulo 1.)
*mouendo cauſas voluntarias non aufert quin
actiones earum ſint voluntariæ ſed potiùs hoc
in eis facit.* Sed operæ pretium eſt con-
ferre reſponſionem ad 3. argumentum
iſtius articuli 1. cum hâc præſenti ut ap-
pareat conformitas & tollatur ſuſpicio re-
tractationis.

ARTICULUS XI.

QUæſtione 3. de malo articulo 3. do-
cens Diabolum non poſſe eſſe cau-
ſam peccati niſi *per modum diſponen-
tis vel perſuadentis interius aut exterius, aut
etiam per modum præcipientis*, rationem dat,
quia ſola voluntas & Deus eſt cauſa per-
ficiens actus humani, *Relinquitur* (inquit)
*quòd cauſa perficiens & propria voluntarii a-
ctus ſit ſolum id quod operatur interius: hoc au-
tem nihil aliud eſſe poteſt quàm ipſa volun-
tas ſicut cauſa ſecunda, & Deus ſicut cauſa
prima.* Et mox. *Motus voluntatis directè pro-
cedit à voluntate & à Deo qui eſt voluntatis*

Solus Deus operatur in voluntate.

 cauſa,

cauſa, qui ſolus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare poteſt in quodcumque voluerit. Videre etiam licet reſponſionem ad 14. & 15. & artic. 4. in corpore. Quæſtione 6. de malo artic. 1. in corpore rursùm disertè docet Deum movere voluntatem ſecundùm ejus conditionem, de quo loco diximus ſupra ad locum quæſtione. 9. 1. 2. Et quia poſſet argui. Si voluntas hominis immutabiliter movetur à Deo, ergo non habet liberam electionem ſuorum actuum, ſed ejus actio potiùs eſt violenta, quia ejus principium eſt extra. Reſpondet D. Thomas neg. C. *Nam Deus*, inquit in reſponſione ad 3. *mouet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis quæ deficere non poteſt, ſed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter ſe habet ad diuerſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Sicut etiam in omnibus diuina prouidentia infallibiliter operatur, & tamen à cauſis contingentibus proueniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia mouet proportionaliter id eſt unumquodque ſecundùm ſuum modum*: Et in reſponſione ad 4. *voluntas aliquid confert cum à Deo mouetur. Ipſa enim eſt quæ operatur, ſed mota à Deo; & ideò motus ejus quamuis ſit ab extrinſeco ſicut in primo principio, non tamen eſt violentus.* Similiter reſpondet 1. 2. quæſtione 9. articulo 2. ad 2. Iterum in reſponſione ad 17. *Voluntas*, ait, *quando de nouo incipit eligere tranſmutatur à ſua priori diſpo-*

Quando voluntas incipit eligere träſmutatur.

ſpoſitione quantum ad hoc quòd priùs erat eli-ens in potentia, & poſtea fit eligens actu. Et ec quidem transmutatio eſt ab aliquo mouen-, in quantum ipſa voluntas mouet ſeipſam ad gendum, & in quantum etiam mouetur ab ali-uo exteriori agente ſcilicet Deo, non tamen ex ceſſitate mouetur ut dictum eſt. Hîc nota uſam agentem fieri per hoc quod ex cau-. potentia fit cauſa actu: & quia hoc ipſi Deo fit, ideo Deus in cauſam influit & on in ſolum effectum. In quæſtione uni-a de virtutibus in communi, articulo 1. l 11. rursùs docet quòd *Deus in nobis ope-tur: & quòd ita agit in nobis quod & nos a-mus*: Articulo 2. ad 20. *Deus non iuſtifi-t nos ſine nobis conſentientibus, quia per mo-m liberi arbitrii dum iuſtificamur Dei iuſti-e conſentimus*, &c. & poſteà: *Illa verò æ per nos aguntur, quoniam nos ſumus cau-ipſe Deus cauſat in nobis non ſine nobis a-ntibus: ipſe enim operatur in omni volun-te & in omni natura.* Hinc infer: ergo opera-r in cauſa & non ſolum in effectu: & no-. quod indifferenter aſſerat Deum opera- in voluntate ſicut in natura & ideò etiam oluntatem determinat ut ſignificatur quæ-ione 5. de ver. art. 5. ad 1. ſed hac de re de dicta ad q. 23. 1. p. Deinde art. 9. dictæ uæſt. 5. de ver. cum dixiſſet quòd *Deus eratur in omnibus rebus, ſicut cauſa prima ope-tur in cauſa.* 2. Infer, ergo non concurrit ſolum effectum, ſed etiam in cauſam in qua

Deus operatur in volũtate & natura, ergo in cauſa.

Deus operatur in omnibus ſicut cauſa 1. in 2.

qua operatur. Articulo 10. *Aſſerit quod voluntas eſt mouens motum ut in 3. de anima probatur, unde oportet ejus actum reducere in aliquod primum principium quod eſt mouens non motum.* Et infrà. *Ipſe* (Deus) *ſolus imprimere poteſt in voluntatem noſtram.* Ne vero dicas: poteſt quidem, ſed non facit, ſequitur: *Ipſè Deus qui eſt ſimpliciter primus prouidens, imprimit ſolus in voluntatem noſtram.* His conformiter q. 6. de veritate art. 6. *In quolibet,* ait, *ordine cauſarum attendendum eſt non ſolum ordo primæ cauſæ ad effectum, ſed etiam ordo ſecundæ cauſæ ad effectum, & ordo etiam cauſæ primæ ad ſecundam, quia cauſa ſecunda non ordinatur ad effectum niſi ex ordinatione cauſæ primæ; cauſa autem prima dat ſecundæ quod influat ſuper cauſatum, ut patet in libro de cauſis.* Quid clarius? quomodò cauſa 2. ordinatur ad effectum certum & determinatum ex ordinatione primæ niſi ordinetur & determinetur à primâ quomodò prima cauſa dat ſecundæ quòd influat niſi quia in eam influit & non in ſolum effectum? Sentit ergo B. Thomas Deum ordinare & determinare cauſas ſecundas ſive liberas ſive neceſſarias ad effectum. Unde quæſt. 22. de veritate artic. 8. docet ex profeſſo Deum poſſe voluntatem ita immutare ut faciat quòd uni volitioni ſuccedat alia. Sed ne reſpondeas quòd poſſit immutare, quia poteſt neceſſitare; & ideò D. Thomam dicere quòd Deus poteſt immutare voluntatem de neceſſitate.

Solus Deus imprimit in volũtatem noſtram.

Cauſa 2. ordinatur ad effectũ ex ordinatione cauſæ 1.

Reſpon-

ʟeſpondeo quòd ſententia B. Thom. ſit)eum poſſe immutare voluntatem ſicut ›ſa non neceſſitetur, ſed libere agat; ut atet ex 1. parte quæſt. 111. art. 2. & quæſt, 7. de veritate art. 3. & hac quæſt. 22. ubi ocet Deum immutare voluntatem ſicut oluntas inclinetur quidem, ſed non ex eceſſitate ſicut inclinatur voluntas beato-um. Dum ergo dicit ſolum Deum poſſe mmutare voluntatem de neceſſitate, illud de neceſſitate) idem eſt quod infallibili-er & efficaciter, quomodò ſolus Deus po-eſt voluntatem immutare & ipſa ſeipſam t docet art. 8. & 9. Verba ejus ſunt. *Cùm)eus voluntatem immutat facit ut præcedenti nclinationi ſuccedat alia inclinatio*: Ut v. g. uandò in voluntate rebellante Deo, inſe-it amorem ſui nominis, facitque ut qui rat ante averſus, jam liberè convertatur, ıxta ea quæ habentur ſeſſ. 6. Con. Trid. c. . Quod vero hæc immutatio fiat Deo rea-iter operante in ipſa voluntate, manife-tum eſt ex ſequentibus verbis. *Poteſt*, in-uit, *Deus voluntatem immutare ex hoc quòd ›ſe in voluntate operatur ſicut in natura: unde cut omnis actio naturalis eſt à Deo, ita omnis ctio voluntatis in quantum eſt actio non ſolùm ſt à voluntate ut immediate agente, ſed à Deo ut rimo agente qui vehementius imprimit: Unde ſi-ut voluntas poteſt immutare actum ſuum in liud, ita & multò amplius Deus*: Et conſe-quenter ſicut voluntas poteſt actum ſuum immu-

immutare ſic ut illum liberè exerceat, ita & multò amplius Deus. *Immutat autem voluntatem dupliciter. Uno modo mouendo tantum, quando ſc. voluntatem mouet ad aliquid volendum ſine hoc quod aliquam formam imprimat voluntati, ſicut ſine appoſitione alicujus habitus quandoque facit ut homo velit hoc quod prius non volebat.* Unde nota per virtutem intentionalem de quâ in quæſtione 3. de potentia articulo 7. non intelligi formam aliquam inhærentem. Et dum articulo ſequenti dicit *quod nulla creatura poteſt directè immutare voluntatem quaſi agendo intra ipſam*: & *quod angeli non imprimunt intellectui quaſi interius aliquid agentes*, quorum tamen utrumque Deo convenit: quid aliud ſignificat quàm quod Deus operetur in cauſis, ut eas attingat & non ſolum effectum? Sed & quæſtione 24. rem eandem clarè ſignificat inquiens articulo 1. ad 3. quod *Deus operatur in unoquoque agente etiam ſecundùm modum illius agentis, ſicut cauſa prima operatur in operatione cauſæ 2. cum ſecunda cauſa non poſſit in actum procedere niſi per virtutem cauſæ primæ. Unde per hoc quod Deus eſt cauſa operans in cordibus hominum, non excluditur quin ipſæ humanæ mentes ſint cauſæ ſuorum motuum: Unde non tollitur ratio libertatis.* Et in reſponſione ad 4. *Cauſa*, inquit, 1. *dicitur eſſe principalis ſimpliciter loquendo propter hoc quod magis influit in effectum, ſed cauſa 2. ſecundum quid principalis eſt in quantum effectus*

Deus volũtatem moũes non ſemper imprimit formam.

Deus operatur in cordibus hominũ.

magis conformatur. Si dicas eum non icere quod influat in cauſam. Reſpon-eo non ubique omnia dici : hoc autem cet hîc non dicat , ſufficienter tamen ixit multis locis , ac nominatim in re-ponſione ad 3. docens Deum operari in mni cauſa ſeu agente: Item in argumen-o ſed contra 4. quæſtione 27. articulo 6. uòd inſolutum reliquit, eò quod ſit effi-ax & concluſionem articuli benè probet, ic loquitur. *Cauſa 2. per prius recipit influen-iam cauſæ* 1. *quàm effectus cauſæ ſecundariæ.* *Causa 2. recipit influentiã causæ 1.* *Objicies*, inſtrumentum non eſt liberum ad agendum, cum non agat niſi motum, ergo Deus non influit in cauſam movendo libe-rum arbitrium ſicut movetur inſtrumen-tum, *Reſpondet* B. Thom. dicto art. 1 quæſt. 24. ad 5. *quòd alio modo dicitur inſtrumentum magis communiter quicquid eſt mouens ab alio motum, ſiue ſit in ipſo principium ſui motus, ſiue non: & ſic ab inſtrumento non oportet quod omni-nò excludatur ratio libertatis, quia aliquid poteſt eſſe ab alio motum, quod tamen ſeipſum mouet, & ita eſt de mente humana.* *Ab inſtrumẽto non excluditur ratio libertatis.* Si dicas mentem humanam vocari inſtrumentum ab alio motum; quia habet ſuum eſſe à Deo, quòd præciſè ad rationem inſtrumenti ſufficeret; & quia pendet ab ejus concurſu ſimulta-neo: non reſpondebis ad mentem D. Tho. ipſe enim ideò vocat eam inſtrumentum, quia non agit niſi actualiter Deus eam mo-veat. Cùm enim lib. 1. contra Gent. cap. 45. dixiſſet:

dixiſſet : *Omnia mouentia quæ ſunt in mundo comparantur ad primum mouens quod eſt Deus, ſicut inſtrumenta ad agens principale*, & l. 2. cap. 21. *Oportet omnes cauſas inferiores agentes reduci in cauſas ſuperiores ſicut inſtrumentales in primarias* : ſubjungit : *inſtrumentum autem nunquam adhibetur ad cauſandum aliquid niſi per viam motus, eſt enim ratio inſtrumenti quod ſit movens motum.* Ex quibus patet eum cauſas ſecundas non ideò vocare inſtrumenta Dei quia ſuum eſſe acceperunt à Deo, ſed quia non adhibentur ad opus, niſi per viam motus, ſive quia non operantur niſi Deo actualiter eas movente & in iis operante: Et cum longè aliud ſit movere cauſam, in ea operari, inclinare, immutare, applicare, & in eam imprimere ac influere quod D. Tho. Deo tribuit, quam actionem coëfficere, ſequitur ulterius quod ipſe vocet eaſdem cauſas ſecundas inſtrumenta, non quia Deus cum iis earum actionem coëfficiat, ſed quia illas verè & propriè movet ac inclinat: Unde quæſt. 28. de veritate ar. 4. ad 2. explicans locum Joannis 6. Nemo venit ad me niſi Pater meus qui miſit me traxerit eum: *Tractus ille, inquit, non importat violentiam ſed operationem divinam quâ operatur in liberum arbitrium vertendo id quocunque voluerit : & ſic illud ad quod pertinet homo trahitur aliquo modo ad liberum arbitrium.* Si operatur in liberum arbitrium, ergo operatur in cauſam, quia liberum arbitrium

Omnes cauſæ ſunt inſtrumẽta Dei.

pertinet

trium

trium eſt.cauſa, & ſic non concurrit in ſolum effectum.

ARTICULUS XII.

LIbro 1. contra Gent. cap. 45. *Omnia mouentia quæ ſunt in mundo comparantur ad primum mouens quod eſt Deus, ſicut inſtrumenta ad agens principale.* Cap. 69. *Effectus cauſarum ſecundarum in cauſas primas principaliùs reducuntur.* & lib. 2. cap. 21. poſtquàm dixit quòd *oportet omnes cauſas inferiores agentes reduci in cauſas ſuperiores ſicut inſtrumentales in primarias* : & quòd *inſtrumentum nunquàm adhibetur ad cauſandum niſi per viam motus*, conſequenter aſſerit influentiam cauſæ primæ in ſecundam ſicut agentis principalis in inſtrumentum his verbis: *Inſtrumentum adhibetur propter conuenientiam ejus cum cauſato ut ſit medium inter cauſam primam & cauſatum & attingat utrumque, & ſic influentia primi perueniat ad cauſatum per inſtrumentum.* Ecce ibi clarè dicit quòd influentia primæ cauſæ ſit in inſtrumentum,& per illud in effectum; non ergo concurrit in ſolum effectum. Similem locum invenies q. unicâ de unione verbi art. 5. ad 12. Rurſùm lib. 2. cap. 23. *Agens*, inquit, *particulare ſe habet ad agens uniuerſale ſicut eo poſterius, & ſicut ejus inſtrumentum.* Capite autem 26. docet tantum abeſſe ut Deus coarctetur ad aliquos determinatos effectus, quin potius *ad omnia quibus entis ratio non repugnat, ſuam cau-*

Influentia Dei pertingit ad effectū per cauſam 2. quæ eſt inſtrumentū.

cauſalitatem extendit : per quod excluditur quorundam Philoſophorum poſitio dicentium quod ex hoc quod Deus ſeipſum intelligit, fluit ab ipſo de neceſſitate talis rerum diſpoſitio quaſi non ſuo arbitrio limitet ſingula & uniuerſa diſponat ſicut fides catholica profitetur. Deus ergo non tantum eligit quæ facienda ſunt, ſed ita eligit ut ſingulas cauſas limitet & determinet ad unum certum ac determinatum effectum, eaſque ad illum diſponat: Præterea Deus non ſolum determinat effectum qui faciendus eſt, ſed etiam ipſam cauſam, ut ſæpiùs ex D. Thoma retulimus, & omnem conditionem: *Nam*, ut loquitur B. Th. cap. 35. *Effectus ab intellectu & voluntate ſequitur ſecundùm determinationem intellectus & imperium voluntatis*: ſicut autem per intellectum determinatur rei factio; & quæcunque alia conditio; ita & præſcribitur ei tempus.

ARTICULUS XIII.

Supremum agẽs mouet omnia agẽtia.

LIb. 3. contra Gent. c. 17. ita loquitur. *Sicut ſupremum agens mouet omnia ſecunda agentia: ita ad finem ſupremi agentis oportet quod ordinentur omnes fines ſecundorum agentium: quicquid enim agit ſupremum agens, agit propter finem ſuum: agit autem ſupremum agens actiones omnium inferiorum agentium, mouendo omnes ad ſuas actiones & per conſequens ad ſuos fines.* Unde patet quàm contra D. Thomam loquantur qui volunt magis accommodatè dici quod Deus coöperetur cauſis ſe-

ecundis quam quod moveat cætera mo-
entia : cum hîc & cap. 64. diſertè dicat
Deum movere cætera agentia, idemque
oceat 1. p. & 1. 2. ut ex verbis ſupra cita-
s manifeſtum eſt. Si dicas Deum dici mo-
ere quia motionem facit ſimul cum cauſâ
. *Reſpondeo* primò quod communi om-
ium ſenſu movere cauſam plus eſt quàm
cere motionem : eſt enim facere motio-
em per cauſam, eamque realiter attinge-
: ſeu movere. 2. D. Thomas dicit Deum
overe cauſas ad actiones, ergo movere
iud eſt quam facere motionem ſeu actio-
em. Prætereà uti re aliqua eſt illam ita
tingere ut applicetur ad operationem:
Deus utitur omnibus cauſis, ergo om-
es cauſas ita attingit, ut eas applicet; ideo-
ie falſum eſt quod concurrat in effe-
um & non in cauſam. Major eſt B. Tho-
æ 1. 2. quæſtione 16. Ubi docet quod
eſt applicare aliquod principium actionis ad
ionem. Minor aſſeritur ab eodem libro
tio contra Gent. capite 64. his verbis:
icunque facit aliquid propter finem utitur illo
finem: oſtenſum eſt autem ſupra quod omnia
e habent eſſe quocunque modo, ſunt effe-
s Dei, & quod omnia facit propter finem
eſt ipſe. Ipſe igitur utitur omnibus dirigen- *Deus*
a in finem : hoc autem eſt gubernare ; & *utitur*
ſtea : *Oſtenſum eſt*, ait, *quod Deus eſt* *omni-*
num mouens non motum; primum autem *bus.*
uens non minus mouet quam ſecunda mo-
 uentia

ventia ſed magis; quia ſine eo non movent alia; omnia autem quæ mouentur, moventur propter finem: mouet igitur Deus omnia ad fines ſuos. Quæ deductio habetur ex Philoſopho libero 8. Phyſ. textu 33. quem commentans idem D. Thomas ſic loquitur: *Cum tam primum mouens quàm ultimum mouere dicamus, quod magis mouet primum mouens quàm ultimum, & hoc patet per duas rationes, quarum prima eſt quod primum mouens mouet ſecundum mouens, ſed non è contrario. Secunda ratio eſt quia ſecundum mouens non poteſt mouere ſine primo, ſed primum mouens poteſt mouere ſine ſecundo.* Quibus planè ſimilia videbis apud Tolet. in eum librum ſcribentem, qui nominatim dicit quod movens ultimum recipit motum à primo: unde ſequitur evidenter quod primum agat realiter in ſecundum. Sed & hîc obſervandum eſt quod B. Thomas ſicut & Philoſophus ut duo diſtincta ponat, Deum agere independenter, & movere cauſas 2. hoc enim in ratione. 1. continetur, illud in 2. ideoque non reſpondent ad mentem D. Thomæ qui volunt Deum ab eo dici movere cauſas, & eas moveri quia ille agit independenter, hæ autem dependenter: quanquam & hæc ejuſmodi explicatio ex ſupra dictis ſatis maneat refutata.

AR-

ARTICULUS XIV.

QUod B. Th. 1. p. quæſt. 105. art. 5. dixit Deum operari in omni operante, ideoque etiam in cauſa & non ſolum in effectu, nec ſolum quatenus dat vel conſervat virtutem, ſed quatenus eandem applicat, hoc ipſum clariſſimè docet hoc lib. 3. contra Gent. cap. 67. ubi poſtquam dixit Deum eſſe cauſam omnis actionis quatenus dat & conſervat virtutes activas, ſemper eas in rebus cauſando, ſic loquitur: *Quicquid applicat virtutem actiuam ad agendum dicitur eſſe cauſa illius actionis: artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem dicitur eſſe cauſa illius actionis, ſicut cocus decoctionis quæ eſt per ignem: Sed omnis applicatio virtutis ad operationem eſt principaliter & primò à Deo; applicantur enim virtutes operatiuæ ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel animæ: primum autem principium utriuſque motus, eſt Deus: eſt enim primum mouens omninò immobile: ut ſupra oſtenſum eſt, & ſimiliter omnis motus voluntatis quo applicantur aliquæ virtutes ad operandum reducitur in Deum ſicut in primum appetibile & in primum volentem: omnis igitur operatio debet attribui Deo ſicut primo & principali agenti: Adhuc in omnibus cauſis agentibus ordinatis, ſemper oportet quod cauſæ ſequentes agant in virtute cauſæ primæ, ſicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum cœleſtium,*

Omnis applicatio virtutis ad operationẽ eſt principaliter & 1. à Deo.

ſtium, & in rebus voluntariis omnes artifices inferiores operantur ſecundum imperium ſupremi architectoris: in ordine autem cauſarum agentium, Deus eſt prima cauſa, ut in 1. oſtenſum eſt: ergo omnes cauſæ inferiores agentes agunt in virtute ipſius; cauſa autem actionis magis eſt id cujus virtute agitur quam etiam illud quod agit: ſicut principale agens magis agit quam inſtrumentum. Deus ergo principalius eſt cauſa cujuſlibet actionis quam etiam cauſæ ſecundæ agentes. Sed objiciet aliquis. Agere in virtute eſt agere per virtutem quæ accepta fuerit à ſuperiori agente dependenter à continuo illius influxu in effectum: ergo nihil eſt hîc pro influxu Dei in cauſam. *R.N.* Ant. S. enim Thomas plus voluit dicens Deum applicare omnes virtutes operativas, omniaque agentia agere in virtute Dei, quam quod virtutem acceperint à Deo ut patet ex contextu hujus c. 67. & ex c. 70. ubi dicit quòd *virtus inferioris agentis dependet à virtute ſuperioris agentis in quantum ſuperius agens dat virtutem ipſam inferiori agenti per quam agit vel conſeruat eam aut etiam applicat eam ad agendum, ſicut artifex applicat inſtrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdum formam non dat per quam agit inſtrumentum, nec conſeruat, ſed dat ei ſolum motum.* Et c. 89. docet Deum dare virtutem ac inſuper hominem non poſſe uti illâ virtute niſi agat in virtute Dei, & niſi Deus operetur in illo. Rursùm 1. p. q. 105. art. 5. cauſam agere in virtute Dei dicit eſſe ſic

Artifex aliquādo dat inſtrumēto ſolū motum.

:agere quòd Deus eam moveat, realiter
:licet ipſam attingendo. *Primum*, inquit,
ens mouet ſecundum ad agendum; & ſecundum
: omnia agunt in virtute ipſius Dei. Movere
tem cauſam longè aliud eſt quam illi da-
n virtutem conſervare vel ſimul cum ea
ere ut patet ex dictis. Unde & c. 67. jam
:ato: *Ipſe eſt*, inquit, (Deus) *qui operatur*
omni operante per naturam vel per voluntatem,
etiam dixerat 1.p.q.105.art.5.& hic c.75. *Deus operatur in omnibus cauſis.*
enſum eſt, ait, *ſupra quòd Deus operatur in*
nibus cauſis ſecundis, & omnes rerum effectus
ucuntur in Deum ſicut in cauſam.

ARTICULUS XV.

T eodem lib. 3. cap. 88. cum dixiſſet
quòd *nulla ſubſtantia creata poteſt agere*
in voluntatem vel eſſe cauſa electionis noſtræ
per modum ſuadentis, &c. Et quòd *Solus* *Solus Deus poteſt mouere voluntatem.*
us poteſt mouere voluntatem per modum a-
ntis: eamque in aliquid inclinare & mouere
untatem per modum agentis abſque violentia:
nc eſt, ait, *quòd dicitur Prou.* 21. *Cor regis in*
nu Domini, & quocunque voluerit inclinabit
l. Et Philipp. 2. *Deus eſt qui operatur in nobis* *Prouer. 21.*
e & perficere pro bona voluntate. Rurſùm: *Phil. 2.*
poſſibile eſt, inquit, *quòd voluntas mouea-*
à principio extrinſeco quaſi ab agente: ſed
rtet quod omnis motus voluntatis ab inte-
i procedat: nulla autem ſubſtantia creata con-
gitur animæ intellectuali quantum ad ſua in-
ra niſi ſolus Deus qui ſolus eſt cauſa ipſius,

cauſa, qui ſolus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare poteſt in quodcumque voluerit. Videre etiam licet reſponſionem ad 14. & 15. & artic. 4. in corpore. Quæſtione 6. de malo artic. 1. in corpore rursùm diſertè docet Deum movere voluntatem ſecundùm ejus conditionem, de quo loco diximus ſupra ad locum quæſtione. 9. 1. 2. Et quia poſſet argui. Si voluntas hominis immutabiliter movetur à Deo, ergo non habet liberam electionem ſuorum actuum, ſed ejus actio potiùs eſt violenta, quia ejus principium eſt extra. Reſpondet D. Thomas neg. C. *Nam Deus*, inquit in reſponſione ad 3. *mouet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis quæ deficere non poteſt, ſed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter ſe habet ad diuerſa, non inducitur neceſſitas, ſed manet libertas. Sicut etiam in omnibus diuina prouidentia infallibiliter operatur, & tamen à cauſis contingentibus prouenium effectus contingenter, in quantum Deus omnia mouet proportionaliter id eſt unumquodque ſecundùm ſuum modum*: Et in reſponſione ad 4. *voluntas aliquid confert cum à Deo mouetur. Ipſa enim eſt quæ operatur, ſed mota à Deo; & ideò motus ejus quamuis ſit ab extrinſeco ſicut in primo principio, non tamen eſt violentus.* Similiter reſpondet 1. 2. quæſtione 9. articulo 2. ad 2. Iterum in reſponſione ad 17. *Voluntas*, ait, *quando de nouo incipit eligere tranſmutatur à ſua priori diſpo-*

Quando volũtas incipit eligere trãſmutatur.

poſitione quantum ad hoc quòd priùs erat eli-
is in potentia, & poſtea fit eligens actu. Et
c quidem tranſmutatio eſt ab aliquo mouen-
in quantum ipſa voluntas mouet ſeipſam ad
endum, & in quantum etiam mouetur ab ali-
exteriori agente ſcilicet Deo, non tamen ex
eſſitate mouetur ut dictum eſt. Hîc nota
iſam agentem fieri per hoc quod ex cau-
potentia fit cauſa actu: & quia hoc ipſi
Deo fit, ideo Deus in cauſam influit &
n in ſolum effectum. In quæſtione uni-
de virtutibus in communi, articulo 1.
11. rursùs docet quòd *Deus in nobis ope-*
ur: & quòd ita agit in nobis quod & nos a-
us: Articulo 2. ad 20. *Deus non juſtifi-*
nos ſine nobis conſentientibus, quia per mo-
liberi arbitrii dum juſtificamur Dei juſti-
conſentimus, &c. & poſteà: *Illa verò*
per nos aguntur, quoniam nos ſumus cau-
pſe Deus cauſat in nobis non ſine nobis a-
ibus: ipſe enim operatur in omni volun-
& in omni natura. Hinc infer: ergo opera-
in cauſa & nôn ſolum in effectu: & no-
uod indifferenter aſſerat Deum opera-
voluntate ſicut in natura & ideò etiam
untatem determinat ut ſignificatur quæ-
ne 5. de ver. art. 5. ad 1. ſed hac de re
dicta ad q. 23. 1. p. Deinde art. 9. dictæ
ſt. 5. de ver. cum dixiſſet quòd *Deus*
atur in omnibus rebus, ſicut cauſa prima ope-
r in cauſa. 2. Infer, ergo non concurrit
olum effectum, ſed etiam in cauſam in
qua

Deus operatur in voluntate & natura, ergo in cauſa.

Deus operatur in omnibus ſicut cauſa 1. in 2.

qua operatur. Articulo 10. *Aſſerit quod voluntas eſt mouens motum ut in 3. de anima probatur, unde oportet ejus actum reducere in aliquod primum principium quod eſt mouens non motum.* Et infrà. *Ipſe* (Deus) *ſolus imprimere poteſt in voluntatem noſtram.* Ne vero dicas: poteſt quidem, ſed non facit, ſequitur: *Ipſe Deus qui eſt ſimpliciter primus prouidens, imprimit ſolus in voluntatem noſtram.* His conformiter q. 6, de veritate art. 6. *In quolibet,* ait, *ordine cauſarum attendendum eſt non ſolum ordo primæ cauſæ ad effectum, ſed etiam ordo ſecundæ cauſæ ad effectum, & ordo etiam cauſæ primæ ad ſecundam, quia cauſa ſecunda non ordinatur ad effectum niſi ex ordinatione cauſæ primæ; cauſa autem prima dat ſecundæ quod influat ſuper cauſatum, ut patet in libro de cauſis.* Quid clarius? quomodò cauſa 2. ordinatur ad effectum certum & determinatum ex ordinatione primæ niſi ordinetur & determinetur à primâ quomodò prima cauſa dat ſecundæ quòd influat niſi quia in eam influit & non in ſolum effectum? Sentit ergo B. Thomas Deum ordinare & determinare cauſas ſecundas ſive liberas ſive neceſſarias ad effectum. Unde quæſt. 22. de veritate artic. 8. docet ex profeſſo Deum poſſe voluntatem ita immutare ut faciat quòd uni volitioni ſuccedat alia. Sed ne reſpondeas quòd poſſit immutare, quia poteſt neceſſitare; & ideò D. Thomam dicere quòd Deus poteſt immutare voluntatem de neceſſitate. Reſpon-

Solus Deus imprimit in volūtatem noſtram.

Cauſa 2. ordinatur ad effectũ ex ordinatione cauſæ 1.

eſpondeo quòd ſententia B. Thom. ſit
eum poſſe immutare voluntatem ſicut
ſa non neceſſitetur, ſed liberè agat; ut
tet ex 1. parte quæſt. 111. art. 2. & quæſt.
. de veritate art. 3. & hac quæſt. 22. ubi
ocet Deum immutare voluntatem ſicut
luntas inclinetur quidem, ſed non ex
ceſſitate ſicut inclinatur voluntas beato-
m. Dum ergo dicit ſolum Deum poſſe
mutare voluntatem de neceſſitate, illud
le neceſſitate) idem eſt quod infallibili-
r & efficaciter, quomodò ſolus Deus po-
ſt voluntatem immutare & ipſa ſeipſam
docet art. 8. & 9. Verba ejus ſunt. *Cùm
us voluntatem immutat facit ut præcedenti
linationi ſuccedat alia inclinatio*: Ut v. g.
andò in voluntate rebellante Deo, inſe-
amorem ſui nominis, facitque ut qui
at ante averſus, jam liberè convertatur,
xta ea quæ habentur ſeſſ. 6. Con. Trid. c.
Quod vero hæc immutatio fiat Deo rea-
er operante in ipſa voluntate, manife-
m eſt ex ſequentibus verbis. *Poteſt*, in-
it, *Deus voluntatem immutare ex hoc quòd
è in voluntate operatur ſicut in natura: unde
ut omnis actio naturalis eſt à Deo, ita omnis
io voluntatis in quantum eſt actio non ſolùm
à voluntate ut immediate agente, ſed à Deo ut
mo agente qui vehementius imprimit: Unde ſi-
voluntas poteſt immutare actum ſuum in
ud, ita & multò amplius Deus*: Et conſe-
enter ſicut voluntas poteſt actum ſuum
immu-

immutare ſic ut illum liberè exerceat, ita & multò amplius Deus. *Immutat autem voluntatem dupliciter. Uno modo mouendo tantum, quando ſc. voluntatem mouet ad aliquid volendum ſine hoc quod aliquam formam imprimat voluntati, ſicut ſine appoſitione alicujus habitus quandoque facit ut homo velit hoc quod prius non volebat.* Unde nota per virtutem intentionalem de quâ in quæſtione 3. de potentia articulo 7. non intelligi formam aliquam inhærentem. Et dum articulo ſequenti dicit *quod nulla creatura poteſt directè immutare voluntatem quaſi agendo intra ipſam*: & *quod angeli non imprimunt intellectui quaſi interius aliquid agentes*, quorum tamen utrumque Deo convenit: quid aliud ſignificat quàm quod Deus operetur in cauſis, ut eas attingat & non ſolum effectum? Sed & quæſtione 24. rem eandem clarè ſignificat inquiens articulo 1. ad 3. quod *Deus operatur in unoquoque agente etiam ſecundùm modum illius agentis, ſicut cauſa prima operatur in operatione cauſæ 2. cum ſecunda cauſa non poſſit in actum procedere niſi per virtutem cauſæ primæ. Unde per hoc quod Deus eſt cauſa operans in cordibus hominum, non excluditur quin ipſæ humanæ mentes ſint cauſæ ſuorum motuum: Unde non tollitur ratio libertatis.* Et in reſponſione ad 4. *Cauſa*, inquit, 1. *dicitur eſſe principalis ſimpliciter loquendo propter hoc quod magis influit in effectum, ſed cauſa 2. ſecundum quid principalis eſt in quantum effectus ei*

Deus volũtatem moues non ſemper imprimit formam.

Deus operatur in cordibus hominũ.

magis conformatur. Si dicas eum non
cere quod influat in cauſam. Reſpon-
o non ubique omnia dici : hoc autem
et hîc non dicat , ſufficienter tamen
xit multis locis , ac nominatim in re-
onſione ad 3. docens Deum operari in
nni cauſa ſeu agente : Item in argumen-
ſed contra 4. quæſtione 27. articulo 6.
òd inſolutum relinquit , eò quod ſit effi-
x & concluſionem articuli benè probet,
loquitur. *Cauſa* 2. *per prius recipit influen-
m cauſæ* 1. *quàm effectus cauſæ ſecundariæ,
icies*, inſtrumentum non eſt liberum ad
endum , cum non agat niſi motum, ergo
us non influit in cauſam movendo libe-
n arbitrium ſicut movetur inſtrumen-
n , *Reſpondet* B. Thom. dicto art. 1 quæſt.
ad 5. *quòd alio modo dicitur inſtrumentum
gis communiter quicquid eſt mouens ab alio
um , ſiue ſit in ipſo principium ſui motus , ſiue
: & ſic ab inſtrumento non oportet quod omni-
xcludatur ratio libertatis , quia aliquid poteſt
ab alio motum , quod tamen ſeipſum mouet,
a eſt de mente humana*. Si dicas mentem
nanam vocari inſtrumentum ab alio
tum ; quia habet ſuum eſſe à Deo , quòd
ecisè ad rationem inſtrumenti ſufficeret;
quia pendet ab ejus concurſu ſimulta-
: non reſpondebis ad mentem D. Tho.
enim ideò vocat eam inſtrumentum,
a non agit niſi actualiter Deus eam mo-
t. Cùm enim lib. 1. contra Gent. cap. 45.
dixiſſet ;

Cauſa 2. recipit influentiã cauſæ 1.

Ab inſtrumẽto non excluditur ratio libertatis.

Digitized by Google

:rium eſt.cauſa, & ſic non concurrit in ſo-
.um effectum.

ARTICULUS XII.

Libro 1. contra Gent. cap. 45. *Omnia mouentia quæ ſunt in mundo comparantur ad primum mouens quod eſt Deus, ſicut in-'rumenta ad agens principale.* Cap. 69. *Effe-tus cauſarum ſecundarum in cauſas primas rincipaliùs reducuntur.* & lib. 2. cap. 21. poſt-uàm dixit quòd *oportet omnes cauſas inferio-:s agentes reduci in cauſas ſuperiores ſicut in-rumentales in primarias* : & quòd *inſtrumen-ım nunquàm adhibetur ad cauſandum niſi per iam motus*, conſequenter aſſerit influen-am cauſæ primæ in ſecundam ſicut agen-s principalis in inſtrumentum his verbis: *ıſtrumentum adhibetur propter conuenientiam us cum cauſato ut ſit medium inter cauſam pri-ıam & cauſatum & attingat utrumque, & ſic in-ıentia primi perueniat ad cauſatum per inſtru-entum.* Ecce ibi clarè dicit quòd influen-a primæ cauſæ ſit in inſtrumentum, & per lud in effectum; non ergo concurrit in ılum effectum. Similem locum invenies unicâ de unione verbi art. 5. ad 12. Rur-ım lib. 2. cap. 23. *Agens*, inquit, *particula-ſe habet ad agens uniuerſale ſicut eo poſterius, ſicut ejus inſtrumentum.* Capite autem 26. ɔcet tantum abeſſe ut Deus coarctetur ad iquos determinatos effectus, quin potius *l omnia quibus entis ratio non repugnat, ſuam*

Influentia Dei pertingit ad effectũ per cauſam 2. quæ eſt inſtrumentũ.

cau-

cauſalitatem extendit : per quod excluditur quorundam Philoſophorum poſitio dicentium quod ex hoc quod Deus ſeipſum intelligit, fluit ab ipſo de neceſſitate talis rerum diſpoſitio quaſi non ſuo arbitrio limitet ſingula & uniuerſa diſponat ſicut fides catholica profitetur. Deus ergo non tantum eligit quæ facienda ſunt, ſed ita eligit ut ſingulas cauſas limitet & determinet ad unum certum ac determinatum effectum, eaſque ad illum diſponat: Præterea Deus non ſolum determinat effectum qui faciendus eſt, ſed etiam ipſam cauſam, ut ſæpiùs ex D. Thoma retulimus, & omnem conditionem: *Nam*, ut loquitur B. Th. cap. 35. *Effectus ab intellectu & voluntate ſequitur ſecundùm determinationem intellectus & imperium voluntatis*: ſicut autem per intellectum determinatur rei factio; & quæcunque aliæ conditio; ita & præſcribitur ei tempus.

ARTICULUS XIII.

Supremum agẽs mouet omnia agẽtia.

LIb. 3. contra Gent. c. 17. ita loquitur. *Sicut ſupremum agens mouet omnia ſecunda agentia: ita ad finem ſupremi agentis oportet quod ordinentur omnes fines ſecundorum agentium: quicquid enim agit ſupremum agens, agit propter finem ſuum: agit autem ſupremum agens actiones omnium inferiorum agentium, mouendo omnes ad ſuas actiones & per conſequens ad ſuos fines.* Unde patet quàm contra D. Thomam loquantur qui volunt magis accommodatè dici quod Deus coöperetur cauſis ſe-

ſecundis quam quod moveat cætera mo-ventia : cum hîc & cap. 64. diſertè dicat Deum movere cætera agentia, idemque doceat 1. p. & 1. 2. ut ex verbis ſupra citatis manifeſtum eſt. Si dicas Deum dici movere quia motionem facit ſimul cum cauſâ 2. *Reſpondeo* primò quod communi omnium ſenſu movere cauſam plus eſt quàm facere motionem : eſt enim facere motionem per cauſam, eamque realiter attingere ſeu movere. 2. D. Thomas dicit Deum movere cauſas ad actiones, ergo movere aliud eſt quam facere motionem ſeu actionem. Præterea uti re aliqua eſt illam ita attingere ut applicetur ad operationem: ſi Deus utitur omnibus cauſis, ergo omnes cauſas ita attingit, ut eas applicet; ideoque falſum eſt quod concurrat in effectum & non in cauſam. Major eſt B. Thomæ 1. 2. quæſtione 16. Ubi docet quod *uti eſt applicare aliquod principium actionis ad actionem.* Minor aſſeritur ab eodem libro tertio contra Gent. capite 64. his verbis: *Quicunque facit aliquid propter finem utitur illo ad finem: oſtenſum eſt autem ſupra quod omnia quæ habent eſſe quocunque modo, ſunt effectus Dei, & quod omnia facit propter finem qui eſt ipſe. Ipſe igitur utitur omnibus dirigendo ea in finem. : hoc autem eſt gubernare* ; & poſtea : *Oſtenſum eſt*, ait, *quod Deus eſt primum mouens non motum; primum autem mouens non minus mouet quam ſecunda mo-*

Deus utitur omnibus,

ventia ſed magis; quia ſine eo non movent alia; omnia autem quæ mouentur, moventur propter finem: mouet igitur Deus omnia ad fines ſuos. Quæ deductio habetur ex Philoſopho libero 8. Phyſ. textu 33. quem commentans idem D. Thomas ſic loquitur: *Cum tam primum mouens quàm ultimum mouere dicamus, quod magis mouet primum mouens quàm ultimum, & hoc patet per duas rationes, quarum prima eſt quod primum mouens mouet ſecundum mouens, ſed non è contrario. Secunda ratio eſt quia ſecundum mouens non poteſt mouere ſine primo, ſed primum mouens poteſt mouere ſine ſecundo.* Quibus planè ſimilia videbis apud Tolet. in eum librum ſcribentem, qui nominatim dicit quod movens ultimum recipit motum à primo: unde ſequitur evidenter quod primum agat realiter in ſecundum. Sed & hîc obſervandum eſt quod B. Thomas ſicut & Philoſophus ut duo diſtincta ponat, Deum agere independenter, & movere cauſas 2. hoc enim in ratione. 1. continetur, illud in 2. ideoque non reſpondent ad mentem D. Thomæ qui volunt Deum ab eo dici movere cauſas, & eas moveri quia ille agit independenter, hæ autem dependenter: quanquam & hæc ejuſmodi explicatio ex ſupra dictis ſatis maneat refutata.

AR-

ARTICULUS XIV.

QUod B. Th. 1. p. quæſt. 105. art. 5. dixit Deum operari in omni operante, ideoque etiam in cauſa & non ſolum in effectu, nec ſolum quatenus dat vel conſervat virtutem, ſed quatenus eandem applicat, hoc ipſum clariſſimè docet hoc lib. 3. contra Gent. cap. 67. ubi poſtquam dixit Deum eſſe cauſam omnis actionis quatenus dat & conſervat virtutes activas, ſemper eas in rebus cauſando, ſic loquitur: *Quicquid applicat virtutem actiuam ad agendum dicitur eſſe cauſa illius actionis: artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem dicitur eſſe cauſa illius actionis, ſicut locus decoctionis quæ eſt per ignem: Sed omnis applicatio virtutis ad operationem eſt principaliter & primò à Deo; applicantur enim virtutes operatiuæ ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel animæ: primum autem principium utriuſque motus, eſt Deus: eſt enim primum mouens omninò immobile, ut ſupra oſtenſum eſt, & ſimiliter omnis motus voluntatis quo applicantur aliquæ virtutes ad operandum reducitur in Deum ſicut in primum appetibile & in primum volentem: omnis igitur operatio debet attribui Deo ſicut primo & principali agenti: Adhuc in omnibus cauſis agentibus ordinatis, ſemper oportet quod cauſæ ſequentes agant in virtute cauſæ primæ, ſicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum cœle-*

Omnis applicatio virtutis ad operationē eſt principaliter & I. à Deo.

 ſtium,

ſtium, & in rebus voluntariis omnes artifices inferiores operantur ſecundum imperium ſupremi architectoris: in ordine autem cauſarum agentium, Deus eſt prima cauſa, ut in 1. oſtenſum eſt: ergo omnes cauſæ inferiores agentes agunt in virtute ipſius; cauſa autem actionis magis eſt id cujus virtute agitur quam etiam illud quod agit: ſicut principale agens magis agit quam inſtrumentum. Deus ergo principalius eſt cauſa cujuſlibet actionis quam etiam cauſæ ſecundæ agentes. Sed objiciet aliquis. Agere in virtute eſt agere per virtutem quæ accepta fuerit à ſuperiori agente dependenter à continuo illius influxu in effectum: ergo nihil eſt hîc pro influxu Dei in cauſam. *R. N.* Ant. S. enim Thomas plus voluit dicens Deum applicare omnes virtutes operativas, omniaque agentia agere in virtute Dei, quam quod virtutem acceperint à Deo ut patet ex contextu hujus c. 67. & ex c. 70. ubi dicit quòd *virtus inferioris agentis dependet à virtute ſuperioris agentis in quantum ſuperius agens dat virtutem ipſam inferiori agenti per quam agit vel conſeruat eam aut etiam applicat eam ad agendum, ſicut artifex applicat inſtrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdum formam non dat per quam agit inſtrumentum, nec conſeruat, ſed dat ei ſolum motum.* Et c. 89. docet Deum dare virtutem ac inſuper hominem non poſſe uti illâ virtute niſi agat in virtute Dei, & niſi Deus operetur in illo. Rursùm 1. p. q. 105. art. 5. cauſam agere in virtute Dei dicit eſſe

Artifex aliquãdo dat inſtrumẽto ſolũ motum.

ſic,

:agere quòd Deus eam moveat, realiter ilicet ipſam attingendo. *Primum*, inquit, *ens mouet ſecundum ad agendum; & ſecundum c omnia agunt in virtute ipſius Dei.* Movere tem cauſam longè aliud eſt quam illi da- n virtutem conſervare vel ſimul cum ea ere ut patet ex dictis. Unde & c. 67. jam :ato: *Ipſe eſt*, inquit, (Deus) *qui operatur omni operante per naturam vel per voluntatem*, etiam dixerat 1.p.q.105.art.5.& hic c.75. *Deus o- perſum eſt*, ait, *ſupra quòd Deus operatur in nibus cauſis ſecundis, & omnes rerum effectus ucuntur in Deum ſicut in cauſam.* *Deus operatur in omnibus cauſis.*

ARTICULUS XV.

T eodem lib. 3. cap. 88. cum dixiſſet quòd *nulla ſubſtantia creata poteſt agere in voluntatem vel eſſe cauſa electionis noſtræ per modum ſuadentis, &c.* Et quòd *Solus us poteſt mouere voluntatem per modum a- tis: eamque in aliquid inclinare & mouere intatem per modum agentis abſque violentia: ic eſt*, ait, *quòd dicitur Prou. 21. Cor regis in nu Domini, & quocumque voluerit inclinabit l. Et Philipp. 2. Deus eſt qui operatur in nobis e & perficere pro bona voluntate.* Rurſùm: *oſſibile eſt*, inquit, *quòd voluntas mouea- à principio extrinſeco quaſi ab agente: ſed tet quod omnis motus voluntatis ab inte- i procedat: nulla autem ſubſtantia creata con- gitur animæ intellectuali quantum ad ſua in- ra niſi ſolus Deus qui ſolus eſt cauſa ipſius,* *Solus Deus poteſt mouere voluntatem. Prouer. 21. Phil. 2.*

& ſuſtinens eam in eſſe: à ſolo ergo Deo poteſt motus voluntarius cauſari. Sed ne hinc colligas Deum non eſſe moventem niſi quemadmodùm generans eſt cauſa motus gravium & levium, ſcilicet quatenus cauſavit virtutem, vide quæ recitavimus ex 1. p. quæſt. 105. & aliis locis, & quæ ſequuntur cap. 89. dicti l. 3. contra Gent. *Quidam verò non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis cauſare poſſit abſque præjudicio libertatis voluntatis, conati ſunt has authoritates malè exponere, ut ſcilicet dicerent quod Deus cauſat in nobis velle & perficere, in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem ſic quod faciat nos velle hoc vel illud; ſicut Origenes, &c. quibus quidem, authoritatibus ſacræ ſcripturæ reſiſtitur euidenter. Dicitur enim Iſaiæ 26.* (*Iſa. 26.*) *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine: unde non ſolum virtutem volendi à Deo habemus ſed etiam operationem.* Quorum verborum ſenſum ita Deo (ut credimus) operante aſſequimur ut putemus hinc evidenter colligi Deum non concurrere in ſolum effectum, ſed influere in cauſam: dum enim in nobis operatur velle, cauſalitas ejus ſe extendit & ad potentiam voluntatis & ad actum: unde ſequitur *hoc ipſum quod Salomon dicit quocunque voluerit vertet illud: oſtendit non ſolum diuinam cauſalitatem ad potentiam voluntatis extendi, ſed etiam ad actum ipſius:* Quomodò autem cauſalitas Dei ſe extendit & ad potentiam & ad actum, ſi concurrit in

Cauſalitas Dei ſe extẽdit ad potentiã & ad actum.

ſolum

olum actum & non in potentiam quæ eſt
:auſa? *Dices* forſitan quod ſe extendat ad
otentiam quatenus dedit illam: ſed hoc eſt
rorſus alienum à verbis B. Thomæ præce-
lentibus, quæ manifeſtè plus requirunt:
nde & in ſequentibus dicit: *Deus non ſolum
at rebus virtutem, ſed etiam nulla res poteſt pro-
riâ virtute agere niſi agat in virtute ipſius ut ſu-
ra oſtenſum eſt* (ſcilicet cap. 70.) *Ergo homo
on poteſt virtute voluntatis ſibi datâ uti niſi in
uantum agit virtute Dei.* Ecce clarè diſtin-
uit Deum dare virtutem voluntati & vo-
untatem agere in virtute Dei; ideoque re-
tè docuimus ſupra quod agere in virtute
)ei non ſit agere per virtutem acceptam
:d per virtutem quæ de novo datur cauſæ
um Deus in eam influit. Quid autem hoc
t oſtendemus parte 3. Verùm quia ſolent
bjici quædam ſcripturæ, audiamus S.
hom. eas reſolventem: *Videntur*, inquit
ibro 3. capite 90. *quædam in doctrinâ ſacrâ
:cundum prædictam ſententiam* (quæ res hu-
nanas ponebat extra Dei providentiam)
*nare. Dicitur enim Eccleſiaſtici 15. Deus ab ini-
o conſtituit hominem & reliquit illum in manu
onſilii ſui: & infra: appoſuit tibi aquam & ig-
em, ad quod volueris porrige manum tuam.
Ante hominem vita & mors, bonum & malum,
uod placuerit dabitur illi: & Deut. 3. Conſidera
uod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam &
onum, è converſo mortem & malum. Hæc autem
erba ad hoc inducuntur ut homines eſſe liberi ar-*

Eccl. 15.

Deut. 3.

 bitrii

bitrii oſtendatur, non ut eorum electiones à diuina prouidentia ſubtrahantur. Et ſimiliter quod Gregorius Nyſſenus dicit in libro quem de homine fecit. Prouidentia eſt eorum quæ non ſunt in nobis, non autem eorum quæ ſunt in nobis: & Damaſcen, dicit in 2. libro quod ea quæ ſunt in nobis Deus prænoſcit, ſed non prædeterminat; exponenda ſunt ut intelligantur ea quæ ſunt in nobis diuinæ determinationi non eſſe ſubjecta quaſi ab eà neceſſitatem accipientia. q. d. ea quæ ſunt in nobis (.i. actus liberi) ſunt quidem determinationi & providentiæ Dei ſubjecta, ſed non ſic ut ab ea neceſſitatem accipiant, quia Deus qui de illis habet providentiam, non ſolum providet ac determinat ut fiant, ſed etiam ut fiant modo convenienti naturæ hominis. Ideſt liberè. *Voluntas diuina,* inquit B. Thomas 1. 2. quæſt. 10. art. 4. ad 1. *non ſolum ſe extendit ut aliquid fiat per rem quam mouet, ſed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturæ ipſius: & ideò magis repugnaret motioni diuinæ ſi voluntas ex neceſſitate moueretur, quod ſuæ naturæ non competit, quam ſi moueretur liberè prout competit ſuæ naturæ.* Hic nota Deum & movere voluntatem ſeu cauſam & ita movere ut ipſa liberè agat. Similia invenies 1. p. quæſt. 22. art. 4. ad 1. Rurſùm in ſequentibus motionem mutationemque voluntatis ſoli Deo attribuit. Capite 91. *Oportet*, inquit, *omnium voluntatum & electionum motus in diuinam voluntatem reduci, non autem in aliquam aliam cauſam, quia*

ſolus

ſolus Deus noſtrarum voluntatum & electionum cauſa eſt : & ſolus Deus directè ad electionem hominis operatur capitulo 92. operatur inquam non ſuadendo (hoc enim & angelo convenit, unde ſequitur *tamen actio Angeli operatur aliquid ad electionem hominis per modum perſuadentis*) ſed potentiam hominis realiter attingendo, *nam ex divina operatione inclinante inclinatur ejus voluntas ad aliquid eligendum ſibi utile*, ut dicitur eodem capitulo 92. ubi etiam ita diſtinguit operationem Dei ab operatione Angeli & corporis cœleſtis : *Non ſemper*, ait, *homo eligit id quod Angelus cuſtodiens intendit, neque illud ad quod corpus cœleſte inclinat, ſemper tamen hoc eligit quod Deus operatur in ejus voluntate* : Item *homo vel diſponitur ad eligendum per cœleſtia corpora, vel illuſtratur per angelorum cuſtodiam, vel etiam inclinatur per operationem divinam*. Ubi notare debes quando dicitur Deus inclinare homines ad bonum, quod non poſſit intelligi de inclinatione quæ tantum fit per illuſtrationes & ſuaſiones : nam hoc etiam Angelis convenit qui tamen voluntatem inclinare non poſſunt. Capite nonageſimo quarto. *Quæcunque rerum aliquid operantur inſtrumentaliter agunt ab eo* (Deo) *mota*. Et capite 95. *Efficacior eſt impreſſio divinæ motionis in ſubſtantiis intellectualibus, quam in ſubſtantiis aliis naturalibus* : Ergo Deus & movet omnes cauſas ſive liberas ſive naturales, & in eas influit, quia in illis imprimit.

Solus Deus poteſt efficaciter inclinare voluntatem.

Con-

Confirmatur ex capite 100. ubi ſic loquitur : *Oportet quod Deus comparetur ad omnia ſicut mouens ad motum & actiuum ad id quod eſt in potentia.* Ex quibus ſicut rectè probat ea quæ Deus facit in cauſis præter naturæ ordinem, non eſſe contra naturam :. ita rectè oſtenditur efficacia virtutis Dei non tendere in ſolum effectum nec agere ſimul naturâ, ſed tendere in cauſam & effectum, ac prius naturâ operari. Illæ enim propoſitiones & univerſales ſunt & ut univerſaliter veræ aſſumuntur, ſicut & illa cap. 149. *Motio mouentis præcedit motum mobilis ratione & causâ. Adhuc* (ut eodem capite 100. dicit) *cum Deus ſit primum agens, omnia quæ ſunt poſt ipſum ſunt quaſi quædam inſtrumenta ipſius : ad hoc autem ſunt inſtrumenta inſtituta ut deſeruiant actioni principalis agentis dum mouentur ab ipſo, &c. Et propter hoc non eſt contra naturam inſtrumenti ut moueatur à principali agente, ſed eſt ei maximè conueniens. Neque ergo eſt contra naturam cum res creatæ mouentur qualitercumque à Deo, ſic enim inſtitutæ ſunt ut ei deſeruiant. Dices* hinc ſequitur non fore contra naturam voluntatis ſi à Deo neceſſitaretur ad aliquid. R. ſi hoc non eſſet contra naturam ejus, multò minus contra naturam eſt quando ita movetur & determinatur ut tamen non neceſſitetur ſed liberè agat : Deinde univerſaliter verum eſt omnem creaturam inſtrumentum Dei eſſe, ideoque agere motam ſicut inſtru-

Omnes cauſæ ſunt inſtrumẽta Dei.

inſtrumentum movetur à principali agente: hoc enim aſſumit & hic & alibi tanquam univerſale. Unde capite 147. *Sub Deo qui eſt primus intellectus & volens ordinantur omnes intellectus & voluntates ſicut inſtrumenta ſub principali agente.* Et capit. 149. *Anima noſtra operatur ſub Deo ſicut agens inſtrumentale ſub principali agente.* Et lib. 4. capite 41. *Omnes homines comparantur ad Deum ut quædam inſtrumenta quibus operatur, ipſe enim eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate* ſecundum Apoſtolum Philipp. 2. & capite 148. libro 3. oſtendens quod per auxilium gratiæ homo non cogitur ad benè agendum, ſic loquitur: *Diuinum auxilium ſic intelligitur ad bene agendum homini adhiberi quod in nobis noſtra opera operatur ſicut cauſa prima operatur operationes cauſarum ſecundarum, & agens principale operatur actionem inſtrumenti. Unde dicitur Iſaiæ 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Cauſa autem prima cauſat operationem cauſæ ſecundæ ſecundum modum ipſius, ergo & Deus cauſat in nobis noſtra opera ſecundum modum noſtrum qui eſt ut voluntariè & non coactè agamus: non ergo diuino auxilio cogitur aliquis ad rectè agendum.* Id eſt, non neceſſitatur ſed liberè agit, coactionem enim hîc ſumit pro naturali neceſſitate quæ opponitur libertati. Unde in fine capitis probat ex ſcriptura hominem eſſe liberi arbitrii. Deinde rurſum

Phil. 2.

Iſa. 27.

ſùm in eodem capite dicit quòd *Dei auxilium non excludit à nobis actum voluntatis, ſed ipſum præcipuè in nobis facit* : *unde & Apoſtolus dicit ad Philipp. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*. Capite autem 149. docet divinum illud auxilium eſſe ſupra hominem, ideóque hominem non poſſe illud promereri ſed neceſſario præveniri ut bonum agat. *Homo*, inquit, *non mouet ſeipſum* (id eſt non ſe diſponit per motum aliquem prævium) *ad hoc quod adipiſcatur diuinum auxilium quod ſupra ipſum eſt, ſed potius ad hoc adipiſcendum à Deo mouetur* : *motio autem mouentis præcedit motum mobilis ratione & cauſa* ; *non ergo propter hoc datur nobis diuinum auxilium quia nos ad illud per bona opera promouemur, ſed potiùs nos ideò per bona opera proficimus quia diuino auxilio præuenimur*. Ubi continetur hoc aut ſimile argumentum. Omnis motio moventis præcedit ratione & causâ motum mobilis : Atqui dum homo agit bene, ibi eſt motio Dei moventis, ſcilicet Dei per auxilium gratiæ, & motus mobilis ſcilicet hominis qui movetur, ergo motio Dei per gratiam præcedit motum hominis operantis, ideoque ipſe homo non prius operatur quam Deus, nec poteſt ſeipſum ſine Deo præveniente diſponere. Ubi tria notanda ſunt 1. quòd Deus moveat. 2. quòd præmoveat ſeu præveniat. 3. quòd omne movens priùs natura

tura moveat quam mobile ſit motum: Nam ex vi argumenti liquet primam propoſitionem debere accipi ut univerſaliter veram, alioquin enim illud non concludet: quanquam ſi Deus prævenit in bonis, nec libertatem tollit, ſatis clarum eſt quod præventio ſeu præmotio libertati non contrarietur.

ARTICULUS XVI.

EAndem ſententiam quòd Deus immediate attingat cauſam & in eam influat dum illam movet ad operandum confirmare licet ex 2. ſentent. diſtinct. 1. quæſtione 1. articulo 4. *Hoc*, inquit, *quod creatum eſt cauſa alii creaturæ, non excludit quin Deus immediatè in rebus omnibus operetur, in quantum virtus ſua eſt ſicut medium contingens virtutem cujuſlibet cauſæ 2. cum ſuo effectu: non enim virtus alicujus creaturæ poſſet in ſuum effectum niſi per virtutem creatoris à quo eſt omnis virtus & virtutis conſeruatio & ordo ad effectum, quia ut in l. de cauſis dicitur: cauſalitas cauſæ 2. firmatur per cauſalitatem cauſæ primæ.* Ecce ubi clarè dicit Deum ejuſque virtutem contingere cauſam 2. ejuſque virtutem: non ergo concurrit Deus in ſolum effectum, ſed etiam in cauſam. Undè quòd ex eo ſæpè repetivimus, diſt. 25. quæſtione 1. articulo 2. ad 1. rurſùm aſſerit, quòd *Deus operatur in voluntate & in libero arbitrio ſecundum exigentiam*: & in

Virtus Dei cōtingit virtutē cauſæ 2.

reſpon-

reſponſione ad 3. *Nulla virtus creata liberum arbitrium cogere nec immutare poteſt, Deus autem poteſt quidem immutare, ſed non cogere.* Item diſtinct. 26. quæſtione 1. articulo 5. ad 3. *Ipſe motus voluntatis non eſt à gratia* (operante) *ſine libero arbitrio, & tamen quia ſe habet gratia ut principale, quia inclinat in talem actum per modum cujuſdam naturæ; ideo ipſa ſola dicitur talem actum operari, non quod ſine libero arbitrio operetur, ſed quia eſt principalior cauſa.* Et diſt. 37. quæſt. 2. art. 1. ad 1. *Deus*, inquit, *non eodem modo inclinat voluntatem in bonum & in malum; inclinat ſiquidem voluntatem in bonum adminiſtrando virtutem agendi, & directè mouendo ad bonum, ſed ad malum dicitur inclinare in quantum gratiam non præbet, &c.* Articulo autem 2. de Deo dicit quod quantum attinet ad bonas actiones, *utrumque agenti influit & ut agat & ut benè agat*: ergo influit in cauſam, quandoquidem influat agenti, quod eſt cauſa.

Deus influit agēti ut agat.

ARTICULUS XVII.

NE verò arbitreris diſſentanea his ab eo ſcripta fuiſſe in ſcriptis poſterioribus, ſcias ſummam Theologicam (è qua dudum multa retulimus teſtimonia disertè aſſerentia Deum & movere omnia moventia, & voluntatem ita movere ut eam quidem determinet ad agendum ſed non ex neceſſitate .i. non ſic ut neceſſita-

tem

tem inferat) ab eo ſcriptam fuiſſe morti jam vicino. Sed & in compendio Theologico quod eſt tertium inter opuſcula, quodque imperfectum morte præventus reliquit, eadem hac de re docuit: nam cap. 4. *Neceſſe eſt*, inquit, *Deum mouentem omnia immobilem eſſe*, quia ſcilicet eſt primum movens: & capitulo 129. *Non eſt* (ait) *contra arbitrii voluntatem ſi Deus voluntatem hominis mouet, ſicut non eſt contra naturam quod Deus in naturalibus operatur; ſed tam inclinatio naturalis quàm voluntaria, à Deo eſt, utraque proueniens ſecundùm conditionem rei cujuſque. Sic enim Deus res mouet ſecundùm quod competit earum naturæ.* Ne verò putes Deum ab eo dici moventem ſolum ideo, quia virtutem dedit & conſervat, lege quæ diximus ex 1. parte quæſtione 105. *Non ſolum dat & conſeruat ſed etiam applicat, &c.* Lege etiam quæ ſequuntur hoc capite. *Patet*, ait, *ex prædictis quod in corpus humanum & virtutes ejus corporeas imprimere poſſunt corpora cœleſtia ſicut & in alia corpora, non autem in intellectum, ſed hoc poteſt creatura intellectualis; in voluntatem autem ſolus Deus imprimere poteſt.* Quomodò autem imprimet in voluntatem, ſi in eam non influit, ſed tantum in effectum? Hoc non eſt imaginabile: unde ſequitur c. 130. *Quia cauſæ 2. non agunt niſi in virtute 1. cauſæ ſicut inſtrumenta agunt per directionem artis, neceſſe eſt quod omnia alia agentia per quæ Deus ordinem ſuæ gubernationis adimplet, virtute ip-*

Deus mouet omnia, etiã voluntatẽ.

Solus Deus poteſt imprimere in voluntatem.

ſius

Digitized by Google

ſius Dei agant. Agere igitur cujuſlibet ipſorum à Deo cauſatur, ſicut & motus mobilis à motione mouentis: mouens autem & motum oportet ſimul eſſe. Oportet igitur quod Deus cuilibet agenti adſit interius quaſi in ipſo agens, dum ipſum ad agendum mouet. Quid clarius? eſtne hoc dicere, quod Deus concurrat in ſolum effectum? nunquid diſertè aſſerit Deum interius agere in ipſo agente movendo ipſum? Quomodo autem agit in agente movendo ipſum, niſi quia influit in cauſam agentem quando eam movet? Reſpondebis quod movet, quia motionem ſimul facit cum creatura: ſed vana eſt explicatio; agere enim & operari in agente movereque cauſam agentem ut faciat actionem plus eſt quàm facere actionem in paſſo: unde & duo navem trahentes (quod eſt exemplum Bellarmini ad probandum ſuum concurſum) faciunt eandem actionem, & tamen neuter agit in alio, nec unus movet alium. Dicendum ergo quod Deus non concurrit in ſolum effectum, ſed influit in cauſam, & ut opuſculo 2. quod eſt contra Græ. cap. 10. inquit. *Operatur in nobis & mouet ſingula ſecundum modum uniuſcujuſque, ita quod quædam ex motione diuinâ ex neceſſitate ſuas actiones perficiant, ut patet in motibus cœleſtium corporum, quædam vero contingenter.* Unde conſequens eſt quod juxta D. Th. loquuntur qui docent primum motorem Deum movere cætera moventia; qui autem id negant ut

Deus adeſt interius cuilibet agenti ut in eo agens.

ſuam

ſuam ſimultaneam cooperationem adſtruant, longè ſint ab ejus mente verbis ſæpe citatis expreſſa.

ARTICULUS XVIII.

EX dictis cum liqueat S. Thomam docere quòd Deus moveat, applicet, ac determinet cauſas, quod operetur in omni agente, quod interius adſit agenti, ipſumque tangat ſua virtute, quod voluntatem immutet, in eam imprimat, in ea operetur, quod voluntas & à ſe moveatur & à Deo, ita tamen ut Deus tanquam cauſa 1. & principalis moveat, voluntas autem ab eo moveatur ut cauſa 2. & inſtrumentalis: Evidenter patet eum non ſentire quod Deus ſimul naturâ cum creaturis concurrat in effectum, & non in cauſam: quomodò enim operabitur in cauſa agente ſi eam non tangat? quomodò eam movet, applicat, ac determinat, illique adeſt interius per contactum virtutis, ſi cauſam nec tangit, nec realiter movet, nec in eam influit; quomodò in voluntatem imprimit ſi non tangit? verùm adhæc reſpondent aliqui verba quidem B. Thomæ eſſe pro nobis, ſed non doctrinam; ideoque declaramus nos non tam doctrinæ B. Th. quàm nominis & verborum ejus ſtudioſos. Egregiam verò reſponſionem: Unde hauriemus doctrinam niſi ex verbis & ſcriptis? Nunquid verba ſunt ſigna affectuum qui

in anima ſunt? Nunquid ſententiæ allatæ diſertè clamant id quod negatur ab aliis? Quidam reſpondens ad authoritates B. Thom. *Reſpondeo*, inquit, *non adferri ullum locum D. Thomæ in quo utatur his vocibus: determinat, aut prædeterminat voluntatem.* Alius autem ſic dixit. *D. Thomas reſpectu voluntatis creatæ nunquam utitur hoc verbo, determinat vel prædeterminat; quod argumento eſt illum non ſentire neceſſariam eſſe prædeterminationem.* An non iſti etiam ex verbis doctrinam colligunt? Neque vero hic dicitur quod D. Thomas non eo ſenſu utatur verbo determinat quo nos utimur, ſed abſolutè quod non utatur illo verbo reſpectu voluntatis creatæ; quod quam falſum ſit, liquet ex dictis, ubi verba protulimus & oſtendimus quod ſæpius utatur illo verbo. Et hinc eſt quod publicè ſit admiſſa hæc propoſitio: *Deus determinat efficienter cauſas ſecundas.* Et cum D. Thomas ne vel uno loco dicat quod Deus concurrit in ſolum effectum, permultis autem aſſerat, quod in cauſa operetur, imprimat, influat, moveat, applicet, mutet, determinet, quis non videt eum non ſentire concurſum illum ſimultaneum, ſed motionem cauſæ ita præviam naturâ ſicut motio moventis eſt prior motu mobilis, ut ipſe ait. Hinc eſt quod hactenus ſcriptores ſive nobiſcum ſentientes ſive diſſentientes ferè omnes conceſſerint hanc eſſe B. Thomæ ſen-

ſententiam, adeò ut Suarez aut primus aut inter primos (quod ſciam) fuerit qui conſtanter eam D. Thomæ ſubtraxerit. Atque ut omittam Patres Dominicanos de quibus extra controverſiam eſt quod doctrinam hanc ſui Angelici Doctoris ut ſanam & veridicam profiteantur ac doceant: aliorum quorundam proferemus ſententiam.

Collegium Conimbricenſe quod inſtar multorum debet eſſe, quamvis noſtram de præmotione Dei aſſertionem non approbet, ſeriò tamen profitetur eam eſſe D. Thomæ opinionem, & quidem celebrem; idque probat non ſolum ex quæſt. 3. de potentia quam alii retractatam eſſe volunt probare, nec poſſunt; ſed etiam ex illa ipſa quæſt. 105. 1. p. ubi locus eſt retractationis eorum quæ dixit in quæſt. 3. de potentia, ſi junioribus creditur. Sed vide conſenſum, Suarez dicit, S. Thomas tacitè retractavit in quæſt. 105. 1. p. ea quæ dixerat pro determinatione in quæſt. 3. de potentia: Alii autem ut Conimbricenſes, D. Thomas & quæſtione 3. de potentia & quæſtione 105. p. 1. pro determinatione loquitur. Azorius verò etiam ex illa quæſt. 105. noſtram ſententiam D. Thomæ attribuit & ſequitur. Molina autem diſputatione 26. ex eodem loco eidem attribuit, ſed non ſequitur, nos autem & attribuimus & ſequimur. Conimbricen. libro 2. Phyſ. quæſtione 13. articulo 2. verba ſunt hæc.

Circa modum quo Deus cum cauſis ad earum operationes & effecta concurrit diſcutienda ſe offert celebris opinio D. Thomæ 1. *p. quæſtione* 105. *& in* 1. 2. *quæſtione* 109. *art.* 1. *& quæſt.* 3. *de potentia art.* 7. *ejuſque ſectatorum Capreoli in* 2. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. *Ferrari.* 3. *contra Gent. cap.* 70. *& aliorum exiſtimantium omnes cauſas* 2. *antequàm operentur, accipere à Deo influxum quendam & motum qui ſit quaſi eſſe intentionale virtutis diuinæ quo ad promendas actiones excitentur eo modo quo artium inſtrumenta: ut dolabra & ſecuris præuiam motionem à fabro accipiunt, cum ad opus applicantur.* Molinæ ſunt iſta, diſput. 26. etiamſi poſtea videatur eſſe dubius: *D. Thomas* 1. *p. quæſt.* 105. *art.* 5. *docet Deum duplici ratione dici operari cum cauſis* 2. *imprimis quia virtutes illis tribuit ad operandum, eaſque actu conſeruat, ut Durandus dicebat: deinde quia ita eas ad agendum mouet, ut quodammodò formas & virtutes earum applicet ad operationem non ſecùs atque artifex ſecurim applicat ad ſcindendum.* Pererij & Azorii verba proferemus poſtea.

PARTIS SECUNDÆ.

ARTICULUS I.

CUm hactenus auctoritatibus D. Thomæ oſtenderimus eum ſentire quòd Deus cauſas ſecundas realiter attingat, moveat, applicet ac præ-

deter-

determinet, ideoque non concurrat in ſolum effectum: proximum eſt docere quòd illa ejus ſententia vera ſit & ab omnibus jure amplectenda. Ad quod probandum licet rationes non ſuppeterent aliæ quàm quæ à B. Th. locis memoratis tanguntur, ſolius tamen tanti Doctoris auctoritas nos meritò movere deberet ut cum eo ſentiremus, potiùs quàm cum Neotericis, præſertim cum à ſanctis Patribus in nullo diſcrepet hæc ejus doctrina, ſed omninò conſentiat, ut mox videbitur. Quia tamen rationes non deſunt, eas proferam, ſi priùs duo admonuero; Primum quod in rebus arduis, qualis eſt materia de operatione Dei quâ operatur omnia, ſive actus moraliter ſolum bonos, ſive illos qui pietatis ſunt, & ad ſalutem conducunt; non tam videndum ſit quid ratio naturalis, quàm quid ſcripturarum Sanctorumque Patrum auctoritates ſuadeant. Fallit enim humana ratio ſi non auctoritate divinâ fulciatur, eademque Pelagium fefellit, & hujus ſœculi Philoſophis perſuaſit Rom. 1. ut dicerent ſe eſſe ſapientes, & quando negare non poterant ſe non à ſe ipſis factos homines, crederent ſaltem & dicerent ſe à ſeipſis, non autem à Deo fieri bonos. Sic enim orator Rom. quaſi communi Philoſophorum ore: virtutem, inquit, nemo unquam acceptam Deo retulit, quia ſcilicet

propter virtutem jure laudamur, & in virtute rectè gloriamur, quod non contingeret ſi donum à Deo, non à nobis haberemus. En rationem humanam, quæ ſimili ferè modo ſimilibus hominibus perſuaderet quod actus bonos non accipiamus à Deo præmovente, quia propter eos jure laudamur, quod non contingeret ſi Deus priùs naturâ eos faceret. Sed neutrius ratio concludit, quia ſic facit & dat Deus ut cum opifice ſuo is qui reparatur operetur. Secundùm eſt quod hac in re ſeriò perpendenda ſit creatoris & creaturæ conditio: illius omnipotentia, hujus infirmitas, illius independentia, hujus continua dependentia: illius efficax operatio quæ invenitur in omni operante, hujus inefficax imò nulla operatio, niſi is qui creaturam fecit cum non eſſet, eam agere faciat cum non ageret. Simul autem cogitandum eſt libertatem hominibus à Deo ſic datam ut eâ uti non poſſint ſine prævio illius auxilo. Sicut enim fieri non poteſt ut Deo eam non conſervante ſubſiſtat; ita fieri non poteſt ut Deo eam non movente, operetur. Eſt enim Deus & cauſa prima dans eſſe & conſervari, & primum agens ac primum movens dans agere & operari. Nec eſt quod libertatem vereamur infringi ab eo qui libertatem contulit. Si enim poteſt voluntatem creare, cur non poſſit voluntatem tangere realiter ac movere? Si dedit potentiam

tentiam cur non poſſit tribuere uſum; non ſolum faciendo operationem, ſed etiam movendo potentiam? Cur qui libertatem dedit voluntati, libertatem tollat ſi voluntatem movet? Cur qui illam creavit ut liberè ageret, non poſſit eam movere ut liberè agat? Operatio Dei in voluntate non eſt deſtructio libertatis ſed confirmatio. Non ergo timeas libertati tuæ, ſed fidenter roga Deum ut te moveat, præmoveat, applicet, determinet ad opera pietatis, ad converſionem, ad confeſſionem, ad ſacramentorum perceptionem &c. Sed ad rationes accedamus.

ARTICULUS II.

PRima ſolet peti ex ratione primi moventis, quod cum immobile ſit cætera omnia moveat, juxta illud Philoſ. in 7. & 8. Phyſicorum. *Omne quod mouetur ab alio mouetur.* Sed eſt notandum primò quoſdam negaſſe illud ab Ariſtotele uſurpari. Inter quos fuit Bellarminus lib. 3. de gratia & lib. Arbitrio cap. 11. Verum legendus eſt Philoſophus lib. 7. Phyſicorum text. 1. 2, & 3. lib. 8. text. 33. 44. 50. & alibi, ubi diſertè ait omne quod movetur ab alio moveri, atque hoc ipſum notius eſt quàm ut refutari debeat. Secundò notandum eſt eſſe nonnullos qui dictum axioma concedunt ab Ariſtotele uſurpatum, ſed ita ut ipſe locutus ſit ſolum de motu Phyſico, de-

que primo motore qui ſit vel primum cœ-
lum, vel intelligentia illi aſſiſtens & ipſum
movens. Tertiò ſunt & aliqui qui velint
Ariſtotelem tot primos motores admiſiſſe,
quotquot non ab alio, ſed à ſe moventur;
ut animalia, homines: ut Socrates v. g. ſit
primus motor mobilium quæ ab ipſo mo-
ventur. Verùm hæc ſine ratione dicuntur,
nec conſentanea ſunt illis quæ ab aliis ejuſ-
dem inſtituti doctoribus adferuntur. Nam
licet Ariſtoteles illud axioma ſæpe explicet
in corporibus & corporum motibus qui
fiunt à primo motore creato,certum eſt ta-
men quòd Ariſtoteles illud extendat ad pri-
mum motorem Deum, à quo ſicut omnia
habuerunt eſſe, ita & moventur quando-
cunque moventur: Lib. enim 8. Phyſico-
rum c.10.& ſequent. ex eo probat dandum
eſſe primum ens,primumque motorem qui
ſit incorporeus & magnitudinis expers &
infinitus,non duratione ſolum ſed & virtu-
te: ut confirmari poteſt non ſolùm ex tex-
tu ſed etiam ex Toleto qui l. 8. Phyſ. c. 6. q.
6. docet ex Ariſtotele ipſum ſenſiſſe quòd
Deus ſit cauſa efficiens totius mundi tam
corporum quàm intelligentiarum: ergo ag-
novit motorem Deum qui ſolus ſit ſimpli-
citer & abſolutè primus motor. Et q. 7. ſeq.
ex eodem & multis aliis oſtendit Deum eſſe
ubique. Quæſt. 8. docet Ariſtotelem ſenſiſſe
quòd Deus ſit virtutis infinitæ, probatque
ex jam dicto cap. 10. l. 8. Phyſicorum text.
78.

78. ubi expreſsè ponit primum movens eſſe virtutis infinitæ, ergo licet Socrates dici poſſit primum movens in aliquo genere, non eſt tamen abſolutè primum movens Ariſtotelicum, cum nec omnia moveat, nec ſit incorporeum, nec infinitum, nec æternum. Similiter Conimbricenſes q. 3. l. 8. Phyſ. cap. 10. *Diſquirendum*, inquiunt art. 1. *ſupereſt, num Ariſtoteles infinitam in primo motore (hoc eſt in Deo) virtutem agnouerit*: & art. 2. reſpondentes dicunt. *Probabilior tamen videtur eorum opinio qui arbitrantur Ariſtotelem cognouiſſe Deum habere virtutem perfectione infinitam. Ita ſentit D. Thom. 1. p. quæſt. 25. art. 2. Henricus Gand. 1. part. ſuæ ſummæ art. 35. qu. 6. Scotus in 1. diſt. 2. quæſt. 3. & in quodlibet q. 7. Magnus Albert. hoc in libro tract. 4. cap. 1. & Simplicius ad text. 79. ubi aſſerit idem omnibus antiquis Peripateticis viſum fuiſſe.* Ita Conimbricen. Non cenſet ergo Philoſophus eſſe plures primos motores. Quod verò additur animalia quæ non ab alio ſed à ſe moventur eſſe prima moventia; præterquàm quod dictis eſt contrarium, etiam Ariſtoteli repugnat, qui lib. 8. Phyſ. text. 20. 28. & 33. docet animalia quæ moventur à ſe, etiam moveri ab alio. Ne verò ſatisfactum putes dicendo quòd moventur ab alio quia una pars movetur ab alia, audi D. Thomam lib. 1. contra Gent. cap. 13. ex Philoſopho ratiocinantem. *Quia*, inquit, *in mouentibus ſe quæ ſunt apud nos, ſcilicet in animalibus*

pars

pars mouens, ſcilicet anima, etſi ſit immobilis per ſe, mouetur tamen per accidens: ideò ulterius oſtendit (ſcilicet Philoſophus) quòd primi mouentis ſeipſum pars mouens non mouetur neque per ſe neque per accidens; Mouentia enim ſe quæ ſunt apud nos, ſcilicet animalia, cum ſint corruptibilia, pars mouens in eis mouetur per accidens. Neceſſe eſt autem mouentia ſe corruptibilia reduci ad aliquod primum mouens ſe, quod ſit ſempiternum. Neceſſe ergo eſt aliquem motorem eſſe alicujus mouentis ſeipſum, qui neque per ſe neque per accidens moueatur. Ubi nota primo Ariſtotelem loqui ſecundùm ſuum de æternitate mundi errorem: & vide quomodò præter partem animalis à qua dicitur animal movere ſeipſum, agnoſcat aliud movens prorsùs immobile, quòd neque per ſe, neque per accidens moveatur, etiamſi alia moveat. Secundò nota quòd Deus ideò primus motor dicatur, quia movet cætera moventia, non autem quia coöperatur aliis; moventis enim eſt movere illud reſpectu cujus dicitur movens: primi autem moventis eſt primò & principaliter movere omnia quæcunque motum participant. Et Philoſophus, philoſophique commentatores antiqui nunquam dicunt Deum & primam cauſam ideò primam vocari quia coöperatur ſecundis, ſed ideò eſſe primum agentem & primum moventem quia movet omnia. *Sed dices:* Ariſtoteles non agnovit immediatam operationem

Ariſtoteles agnouit 1. mouẽs immobile quod nec per ſe nec per accidens mouea- tur.

Dei

Dei in effectus, ergo ex ejus axiomate nulla procedit probatio. *Reſp. N. Ant.* ſi enim putavit eum eſſe virtutis infinitæ & ubique, operationem ejus immediatam non ignoravit. Nec obſtat quod aliquando dicat eum eſſe in aliquibus certis partibus univerſi, ut in terra, vel in oriente quia intelligit eum eſſe ibi ſpecialiori quodam modo, ſcilicet per efficaciam motus qui ibi incipit, aut per effectus ſpeciales quos ibi producit. Huc etiam pertinet quod libro 8. Phyſicorum text. 37. dicit primam mentem omnis motus & concretionis expertem movere, & in omnia ſuas vires exercere. *Sed objiciunt* nonnulli primò quod occaſionem errandi præbet Deum vocare primum motorem verbis Philoſophi. Quibus *reſpondemus* indignam eſſe ſuis auctoribus objectionem, qua phraſim à B. Thoma vitæ & doctrinæ nomine Angelico, & ab omni ſpecie mali juxta præceptum Apoſtoli ſe abſtinente uſitatam, dicunt errandi occaſionem præbere; quaſi verò Doctor Sanctiſſimus occaſiones erroris minus vitare ſtuduerit, quàm ii à quibus hæc objiciuntur. Quòd autem S. Thom. Deum vocaverit primum motorem ſatis ex prima parte docuimus, & manifeſtum eſt ex 8. libro Phyſ. & ex libro 1. contra Gent. cap. 13. Opuſculo 3. cap. 4. 1. parte quæſt. 2. art. 3. multiſque aliis locis, ubi ex principiis Philoſophi veris docet Deum eſſe primum motorem, primum

mum moventem & primum agentem, adeò ut lib. 3. contra Gent. cap. 100. dixerit quòd *Deus comparetur ad omnia ſicut mouens ad motum.* Si quæ ſint autem in doctrina Philoſophi quæ falſi aliquid ſupponant, illa ipſe Thomas indicat & rejicit ut lib. 1. contra Gent. cap. 13. quale tamen non eſt prædictum axioma quo ipſe lubenter & ſæpè utitur.

Objicies 2. cauſas ſecundas non agere niſi motas à prima, idem eſt quod niſi adjutas à prima & coöperantes primæ: ergo non omne quod movetur, ab alio movetur. *Reſpondeo primò*, frequentationem iſtius axiomatis à D. Thoma & aliis ſatis innuere quòd omne quod movetur verè & propriè moveatur ab alio. *Secundò reſpondeo* negando antecedens: cum enim multi alios adjuvent quos tamen non movent, ut patet in trahentibus navem & ſimul portantibus lapidem, longè aliud eſt movere alium, quàm adjuvare. Præterea ut ſæpè dicit D. Thomas Deus movet hominem, movet potentiam, omnemque cauſam, ergo non ſolùm adjuvat ut coöperans, quia coöperans non movet eum cui coöperatur, ſed ſolùm cum eo ſimul tendit in effectum, ut exponunt qui concurſum tueri volunt cum excluſione præmotionis. Hinc eſt quòd à ſolis recentioribus dictum ſit movere eſſe idem quod adjuvare & coöperari, & cauſas ſecundas agere motas

tas idem quod agere adjutas & coöperantes primæ. His pro dicto axiomate præſuppoſitis primâ ratione ſic procedimus. Quando ſecunda agentia movent, tunc etiam primum agens movet, movet inquam non ſolùm quia ſecunda moventia movent dependenter ab illo, ſed inſuper quia movet ſecunda agentia; ergò Deus qui eſt primum movens non ſoùm concurrit in effectum ſecundorum agentium, ſed etiam influit in ipſa ſecunda moventia quando movet illa. Moventis enim & moti, teſte Philoſopho, eſt contactus virtutis; & Dei moventis ac creaturæ motæ eſt contactus de quo diximus ad loca D. Thom. ex prima parte deſumpta. Antecedens confirmatur ex Philoſopho qui lib. 8. Phyſicorum capite 5. duas adfert rationes ob quas primum movens potiùs ac magis movet quàm ſecundum; Prior eſt quia primum movet ſecundum. Poſterior, quia ſecundum non movet niſi dependenter à primo; primum autem movet independenter à ſecundo; ergò Philoſopho aliud eſt primum moventem movere quam coëfficere independenter, omnia autem alia movere dependenter ab illo. Verba Philoſophi ſunt. *Utrumque quidem motum afferre dicimus, & poſtremum & primum eorum quæ mouent, ſed primum potiùs propterea quod illud id quod ultimo loco motum adfert moueat, non hoc id quod primo loco: & quod ſine primo, id quod ultimum*

ultimum eſt, non mouebit; illud autem ſine hoc poteſt ut bacillum niſi id homo moueat, nullum motum adfert. Ad quæ verba commentans D. Th. & Cardinalis Toletus diſertè docent primum movens magis movere quam ſecundum, & quia primum movet ſecundum non contra, & quia ſecundum non poteſt movere ſine primo, primum autem poteſt movere ſine ſecundo. Ubi Toletus addit quod ſecundum recipit aliquid à primo, non qualitatem aut formam, ſed motum. Et quamvis ſecunda agentia de quibus ibi Philoſophus, moveantur localiter recipiantque aliquando qualitatem alterativam, non tamen eſt neceſſe ut omne movens mobili imprimat aliud quam motum quem in eo efficit. Non enim apparet quid calamo, præter motum, imprimam quando eum moveo ad ſcribendum. Deinde conſtat Ariſtotelem agere de primo motore incorporeo & infinito ut ex text. 78. c. 8. & ex Toleto & Conimbricen. ad illum textum commentantibus ſupra diximus: ſi tamen non ageret niſi de corporeo, ſicut licet ab inferioribus aſcendere ad ſuperiora, ita licet argumentari ab eo quod eſt primum movens corporeum movens omnia corpora, ad illud quod eſt primum movens omnium agentium ſecundorum movens omnia ſecunda agentia.

ARTI-

ARTICULUS III.

SEcunda ratio quâ Theologi & Philoſophi concludere ſolent Deum eſſe, eſt talis. *Omne quod mouetur ab alio mouetur; nihil enim mouetur niſi ſecundum quod eſt in potentia ad illud ad quod mouetur: mouet autem aliquid ſecundum quod eſt actu. Mouere enim nihil aliud eſt quam educere aliquid de potentia in actum. De potentia autem non poteſt aliquid reduci in actum niſi per aliquod ens in actu, &c. Non eſt autem poſſibile ut idem ſit ſimul in actu & in potentia ſecundum idem, ſed ſecundum diuerſa, &c. Impoſſibile eſt ergo quod ſecundum idem & eodem modo aliquid ſit mouens & motum, vel quod moueat ſeipſum: omne ergo quod mouetur oportet ab alio moueri. Si ergo id à quo mouetur, moueatur, oportet & ipſum ab alio moueri; & illud ab alio: hic autem non eſt procedere in infinitum: quia ſic non eſſet aliquod primum mouens, & per conſequens nec aliquod aliud mouens, quia mouentia ſecunda non mouent niſi per hoc quod ſunt mota à primo mouente, ſicut baculus non mouetur niſi per hoc quod eſt motus à manu: ergo neceſſe eſt deuenire ad aliquod primum mouens, quod à nullo mouetur, & hoc omnes intelligunt Deum.* Ita ratiocinatur S. Thom. 1. p. quæſt. 2. art. 3. & lib. 1. contra Gent. cap. 13. Item opuſc. 3. cap. 3. qui concludit cap. 4. Deum moventem omnia eſſe immobilem. His adde quod D. Auguſt. lib. 5. de Geneſi ad litteram capite 20. de Deo dicit

2. Agētia non mouent niſi mota à 1.

dicit quòd *mouet occultâ potentiâ uniuerſam creaturam ſuam.* Et lib. 8. cap. 20. 21. & 26. Movet per tempus creaturam ſpiritalem, movet etiam per tempus & locum creaturam corporalem, ut eo motu naturas quas intrinſecùs ſubſtituit etiam extrinſecus adminiſtret. Valde ergò appoſitè loquuntur qui Deum ideò motorem appellant, qui movet cætera moventia, quandoquidem in eo ſermone non ſolùm ſequantur Philoſophos ſed etiam Theologos, imò & Theologorum Principes SS. Auguſt. & Thom. Cum hac autem ſecunda ratione ferè coincidit ea quam eximius Dominus Magiſter noſter Guilielmus Eſtius adfert pro ratione quadrageſima ad probandum efficaciam gratiæ Dei non eſſe moralem & ſuaſoriam, ſed realem & Phyſicam. Cujus verba ſub nomine Doctoris graviſſimi citata leguntur in quodam libello anonymo Duaci nuper impreſſo; ſed quia longè aliter habent dictata quæ ego & alii illius graviſſimi Doctoris diſcipuli ſcripſimus, quam in eodem libello recitentur: Ideo. & Magiſtri mei conſulens honori; & ſententiarum veritati & integritati ſtudens, mutationem & omiſſionem verborum paucis indicabo. Ejus dictata ſic habent. *Quadrageſima eaque ultima ac efficaciſſima* (*ſc. ratio eſt*) *ex uniuerſali operatione Dei tanquam primæ ac ſupremæ cauſæ primique motoris reſpectu omnium effectuum & motuum procedentium à quibuſcunque cauſis ſecundis:*

dis : Neque enim in tota creatura Deus alios quidem effectus producit cauſalitate quidem Phyſica, alios vero cauſalitate morali, ſed omnes omnino effectus producit perfectiſſimo cauſalitatis modo .i. tanquam cauſa principaliter & primò operans, ſiue per cauſas ſecundas naturales ſiue per liberas operetur. Cum igitur ſub uniuerſali operatione Dei contineatur operatio gratiæ ejus per Chriſtum quâ in nobis, ea quæ ad ſalutem vitæ æternæ pertinent, operatur : manifeſtum eſt etiam illam operationem juxta dictum perfectiſſimum cauſandi modum reſpectu ſuorum omnium effectuum efficacem eſſe. Verba autem libelli ſic ſonant. *Quadrageſima & efficaciſſima ratio eſt quæ ſumitur ex uniuerſali Dei operatione tanquam primæ & uniuerſalis cauſæ, primique motoris reſpectu omnium effectuum & motuum procedentium à quibuſcunque cauſis ſecundis, omnes enim effectus Deus producit perfectiſſimo cauſalitatis modo, id eſt tanquam cauſa ſimpliciter & principaliter operans, ſiue per cauſas ſecundas naturales, ſiue per liberas operetur. Cum igitur ſub uniuerſali operatione contineatur operatio gratiæ per Chriſtum quâ ſcilicet in nobis ea quæ ad ſalutem pertinent, operatur, manifeſtum eſt etiam illam operationem juxta prædictum perfectiſſimum cauſandi modum reſpectu ſuorum omnium effectuum efficacem eſſe.* In quibus, prima mutatio eſt, quod ubi graviſſimus Doctor dicit (ſupremæ) ſubſtituatur (univerſalis) quòd licet poſſit ſumi ſic ut cauſa univerſalis & ſuprema ſint eædem;

retinendum tamen fuit vocabulum à ſuo auctore dictatum. Deinde cauſa ſuprema plus aliquid innuit quam cauſa univerſalis, cum non repugnet cauſæ univerſali quæ non eſt ſuprema determinari à cauſa particulari, repugnet autem cauſæ ſupremæ determinari ab inferiori. Si enim eſt ſuprema, ergo eſt ſuprà omnes, ideoque omnes ſunt illi ſubjectæ, ipſa autem nulli. Ex eo autem quod ſit univerſalis, hoc præcisè non ſequitur, cum univerſalis ut talis ea ſit quæ ad multos particulares effectus ſpecie diſtinctos ſe extendit, ſive à cauſis mediis pendeat, ſive non. Sic ſol eſt cauſa univerſalis etiamſi pendeat ab his inferioribus. Secunda mutatio, eſt hujus ſententiæ omiſſio (neque enim in tota creatura Deus alios quidem effectus producit cauſalitate quidem Phyſicâ, alios verò cauſalitate morali, ſed.) Hæc autem ſententia plurimum habet roboris contra opinionem omittentium. Si enim Deus non producit effectus aliquos quidem cauſalitate phyſica, alios vero cauſalitate morali, ſed omnes omnino cauſalitate phyſica, ergo quando Deus per gratiæ ſuæ efficaciam operatur in nobis opera noſtra, non operatur illa per efficaciam moralem, ſive per nudas illuſtrationes & ſuaſiones congruas, ſed phyſica ac reali cauſalitate, ſeu ut loquitur idem graviſſimus Doctor perfectiſſimo cauſalitatis modo. Quem modum expli-

explicans dicti libelli auctor. (ideſt inquit) tamquam ſimpliciter & principaliter operans. Verum hîc eſt tertia eaque notabilis immutatio : Doctor enim ſic habet ideſt *tamquam cauſa principaliter & primò operans.* Iſta autem longè diverſa ſunt, cum citator ille admittat Deum ſimpliciter & principaliter operari, neget autem quod primò ; & quia negat quod 1. operetur, ideo illud 1. mutavit in ſimpliciter. Si reſpondeatur verba ut aliò pertinentia fuiſſe citata ideoque recte potuiſſe illa omitti. *Reſpondeo* verba tanti Doctoris non debuiſſe mutilè citari, omiſſis præſertim illis quæ materiam controverſam confirmant plurimum. Sed hæc ſufficiant, dicta non in reprehenſionem perſonæ cujuſquam, ſed in magiſtri mei defenſionem, & malæ citationis detectionem, ne lector verbis allegatis deceptus arbitretur prædictum Doctorem ſentire quòd Deus principaliter quidem operetur, ſed non primò. Quod autem primò operetur probabit noſtra tertia ratio quæ talis eſt.

ARTICULUS IV.

OMne movens priùs naturâ movet quam mobile ſit motum, ſed Deus eſt movens & cauſæ ſecundæ ſunt ab eo mobiles; ergò prius natura eas movet quam moveantur : atqui Deus non movet eas ut diſtans ab illis, cum rebus omnibus ſit

intimè præſens; & in omni operante operetur quaſi interius exiſtens, ergo ſic movet ut illas tangat ac in eas influat. Minor jam ſatis probata eſt. Major eſt Philoſophi libro 4. Metaphyſ. text. 23. dicentis quòd *movens natura prius eſt moto*: & probatur partim ex eo quod ſupra attulimus ex libro 3. contra Gent. capite 149. *Motio moventis præcedit motum mobilis ratione & cauſa.* Partim ex eo quod 1. parte quæſtione 82. articulo 3. ad 2. *Motivum* dicitur eſſe *prius mobili & activum prius paſſivo*: partim etiam hoc argumento. Movens dicitur quod movet, ſimul operans quod ſimul operatur, ſimul agens quod ſimul agit, ergo primum agens eſt quod primò agit & primum movens quod primò movet: quæ conſequentia in locis Dialecticis manifeſtè fundatur. Si dicas Deum eſſe primum movens quatenus ab initio virtutem dedit: contra faciunt ea quæ ſupra diximus, & inſuper hoc argumentum: Hujus actus individui qui jam fit cum ante non fieret, Deus eſt primum agens, & reſpectu cauſæ ſecundæ primum movens, cum tamen non eſſet hujus actus agens nec movens (ideoque nec primò agens aut primò movens) quando actus non fiebat: ergo jam quando fit primo movet ac 1. agit aliter quam dando virtutem. Quare enim cenſebitur nunc primum agens hujus actus potius quàm ante niſi quia nunc primo agit effectum quem ante non agebat?

Moves eſt prius moto.

agebat? Præterea confirmatur hoc idem ex 1. 2. quæſtione 113. articulo 6. & 8. ubi S. Thomas clariſſimè docet omne movens eſſe prius mobili. Nam articulo 6. ſic habet. *In quolibet motu quo aliquid ab altero mouetur tria requiruntur. Primò quidem motio ipſius mouentis. Secundò motus mobilis. Tertiò conſummatio motus, ſiue peruentio ad finem.* Art. autem 8. ſic, *In quolibet motu naturali, primum eſt motio ipſius mouentis: ſecundum autem eſt diſpoſitio materiæ ſiue motus ipſius mobilis; ultimum verò eſt finis vel terminus motus ad quem terminatur motio mouentis.* Quid clarius? Nunquid apertè dicit motum moventis eſſe priorem motu mobilis? Sed & hoc aliunde probatur. Omnis cauſa eſt naturâ prior ſuo effectu: omne movens reſpectu mobilis eſt cauſa, ergo omne movens reſpectu mobilis eſt prius natura, non dico prius dignitate, ne reſpondeatur eſſe prius, quia dignius, qui eſt quartus modus prioris; ſed dico prius natura ſeu cauſalitate juxta quintum modum prioris. Hinc eſt quod B. Th. dicto ar. 8. q. 113. probet motum liberi arbitrii in Deum præcedere motum liberi arbitrii in peccatum, eo quod ſit cauſa & ratio ejus. Non intelligimus autem hîc prius & poſterius natura eo modo quaſi ſint aſſignanda duo naturę inſtantia, in quorum uno movens ſit prius, & in altero mobile ſit poſterius: ſed intelligimus prius & poſterius natura ſeu cauſalitate eo modo quo

Mouens eſt prius mobili.

cauſa ut cauſa eſt natura prior ſuo effectu, etiamſi eodem unico inſtanti cauſa ſit ac etiam effectus, ſicut etiam contingit in illis quæ fiunt in inſtanti. Sic elevatio ſolis eſt prior die, jugulatio prior morte, infuſio animæ rationalis prior animatione, & ut exemplo Ariſtotelis utamur, res eſt natura prior oratione quæ à re denominatur, & eſt vera, eò quod res ſit cauſa veritatis orationis, non contra. Et hæc naturæ prioritas invenitur inter cauſas plures ſimul tempore cauſantes, etiam reſpectu ejuſdem effectus, quando una eſt alteri cauſa cur effectum illum producat. Neque enim verum eſt quod à quibuſdam dicitur, prioritatem hanc peti debere ex effectu includente diſtinctionem entitatum, ſed peti debet ex ipſis cauſis quarum una eſt alteri cauſa operandi. Deus enim non ſolum eſt prior ſole illuminante, quia illuminatio ſit entitas diſtincta à ſole, ſed Deus ut per ſolem producens illuminationem prius natura illam producit quam ſol, quia eſt ſoli cauſa cur illuminet ac illuminationem producat. Similiter Deus quamlibet creaturam movens ad operationem, prius natura mouet quam ipſi moveatur, quia Deus eſt illi cauſa movendi. Nam juxta D. Thom. lib. 1. cont. Gent. cap. 13. *In mouentibus & motis ordinatis quorum unum per ordinem mouetur ab alio, primum eſt cauſa mouendi omnibus aliis.* Ex qu
b

bus ſic ulterius argumentor, à quo removetur pars definitionis removetur definitum, ſed pars definitionis ſimul naturâ, removetur à Deo & cauſis ſecundis operantibus: ergo removetur & definitum; ideoque non ſimul natura operantur. Minor probatur, quia in definitione ſimul natura Philoſophus addit hanc partem, & neutrum eſt alteri cauſa cur ſit cap. 17. lib. categor. Atqui Deus eſt cauſis ſecundis operantibus cauſa cur ſint operantes: ergo pars illa non eis convenit. Minor jam probata eſt ex B. Thom. & eſt manifeſta ſi cogitemus Deum omnium rerum eſſe cauſam, non ſolum eſſendi ſed & agendi; & ſi repetamus ea quibus docuimus Deum movere, applicare, excitare, impellere, & determinare cauſam ſecundam. Hæc enim eſſe non poſſunt niſi Deus comparetur ad omnia moventia ſicut movens ad motum, & ſicut cauſa ad effectum. *Objiciunt* tamen aliqui: Licet Deus dici poſſit cauſa, quòd cauſa ſecunda agat, non poteſt tamen universè dici cauſa cur agat, ſic enim liceret omnes actus etiam peccati in Deum ut cauſam refundere, dicendo ego diſputo quia Deus vult & ab æterno efficaciter decrevit; tu curris, quia Deus vult: ille odit, blaſphemat, &c. quia Deus vult: ideoque potius dicendum eſt, quòd Deus agat quia voluntas agit quam contra. *Reſpondeo* eſſe abſurdiſſimum quòd Deus aliquid

Nō ideo Deus agit quia volūtas agit,

agat quia voluntas creata agit, præſertim ſi de ſalutaribus operibus ſermo ſit, de quibus loquitur Bellarm, hoc aſſerens lib. 4. de gratia & lib. arbitrio cap. 15. Unde & recentiores quidam ejuſdem cum eo inſtituti ſolum loquuntur de operibus malis & indifferentibus, etiam in hoc à ſuo doctore diſſentientes. Oportet enim ſcire quod voluntas Dei nullam cauſam habeat, ut docet D. Thom. 1. p. quæſt. 19. art. 5. ipſa autem ſit omnium rerum cauſa prima. Unde B. Thom. ex Auguſt. ſic loquitur lib. 3. contra Gent. cap. 97. *Non niſi Dei voluntas eſt cauſa prima ſanitatis & ægritudinis, præmiorum atque pœnarum, gratiarum atque retributionum.* Et 1. p. quæſt. 19. art. 5. cum ſimilem huic objectionem ſibi formaſſet argumento ſecundo dicens: *Si voluntatis ejus nulla ſit cauſa, non oportebit in omnibus rebus naturalibus aliam quærere niſi ſolam voluntatem divinam,* quia ſcilicet licebit omnes effectus in eam ut cauſam refundere: non reſpondet negando omnia reduci in Deum ut cauſam; ſed, *cum velit Deus*, inquit, *effectus ſic eſſe ut ex cauſis certis proveniant ad hoc quod ſervetur ordo in rebus, non eſt ſuperuacaneum etiam cum voluntate Dei alias cauſas quærere: eſſet tamen ſuperuacaneum ſi aliæ cauſæ quærerentur ut primæ & non dependentes à diuinâ voluntate.* Si vero Deus ideo operatur quia voluntas operatur & non contra; ergo voluntas eſt prima cauſa, quia

eſt

eſt prior Deo, eſt enim cauſa cur Deus operetur, & conſequenter Deus dependet à ſua creatura. Nec ſatis eſt dicere quòd Deus pendeat ab æterna ſua inſtitutione & voluntate, non autem à voluntate creata, eo quod liberè ita condiderit libertatem ut cum ea taliter operetur. Hoc eſt enim quod quæritur: an Deus ita voluntatem inſtituerit ut ipſe operaretur, quia ipſa vult operari, quod nos negamus conformiter D. Thom. & veritati, & pietati. Quis enim pius dum boni aliquid egit, audeat dicere, quia ego volui confiteri, communicare, dare eleëmoſynam, viſitare infirmos: ideò Deus voluit etiam ut iſta facerem, non autem quia voluit, ideo feci? An non dicet potius, miſericordia ejus prævenit me? Ut iſta facerem ipſe voluit, & quia voluit ego feci? *Prius*, inquit Deus apud Aug. tract.72. in Joan: *Ego facio, deinde & ipſe faciet, quia facio ut faciat.* Prætereà ſi Deus ideo operatur quia voluntas operatur ergo non benè dicit Apoſt. Rom.9. *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei*, ſed dicere debuit: Non eſt Dei miſerentis & adjuvantis, ſed hominis volentis & currentis; cum enim homo volet, tunc Deus miſerebitur & volenti coöperabitur: & tamen ita dixit Apoſt. Non eſt volentis neq; currentis, ut teſte Aug. Ench.c.32. non poſſit viciſſim dici, non eſt miſerentis Dei, ſed hominis volentis & currentis. Prætereà ſi ideò operatur

Deus

Deus quia voluntas operatur, & non contra: quomodo non priores ſibi partes vendicat homo in bono opere, contradicitque Aug. l. 13. de civit. Dei c. 1. dicenti quod *ad malum hominis prior eſt voluntas ejus: ad bonum verò ejus prior eſt voluntas creatoris ejus, ſiue ut eam faceret quæ nulla erat, ſiue ut reficiat quæ lapſa perierat.* Quomodo in eo quod eſt amborum non priorem ſe facit, poſteriorem Deum quod in Pelagio reprehendit Aug. l. de prædeſt. SS. c. 2. Certè opinio iſta manifeſtè contraria eſt propugnatori gratiæ Auguſtino, qui voluntatem noſtram gratiæ Chriſti ſemper ita poſtponit ut gratia prior, voluntas poſterior operetur. *Promiſit* enim ait lib. de prædeſtin. Sanctorum cap. 10. *quod ipſe facturus fuerat non quod homines: quia etſi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum ipſe facit ut illi faciant quæ præcipit, non illi faciunt ut ipſe faciat quæ promiſit.* Quid aliud hîc clamat quam Deum eſſe cauſam cur homines faciant ideoque (ut ſup. dixit) prius facere? *Auertat ergo Deus hanc amentiam* (verbis utor Aug. lib. 2. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 9.) *ut in donis ejus nos priores faciamus, poſteriorem ipſum, quoniam miſericordia ejus præueniet me.* & ut dicit can. ult. Arauſ. con. *in omni opere bono nos non incipimus*, quod etiam ſup. oſtendimus. Igitur non quia homo operatur, ideo Deus operatur, ſed contra: alioquin enim fidelis rectè diceretur ob hoc devotus fuiſſe

quia

quia voluit: quod S. Proſper condemnat in epiſtolâ ad S. Aug. ſcriptâ: & nos inciperemus, eſſemuſque cauſa cur Deus operaretur nobiſcum, quod eſt manifeſtè contra Aug. ſæpiſſimè clamantem quod Deus facit ut faciamus. Deinde ſi Deus ideo operatur quia homo operatur, ergo cum in his qui tempus acceperunt liberæ voluntatis duo ſint quæ humanam operentur ſalutem Dei ſcilicet gratia & hominis obedientia, prior erit obedientia quam gratia ut initium ſalutis ex eo qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare qui ſalvat; & voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariet opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciet voluntatem. Quod perverſiſſimum eſſe revelante Dei miſericordiâ & Sancto Auguſtino inſtruente noviſſe ſe fatetur S. Proſper in dictâ epiſtolâ. Dicendum eſt ergo quod in omni opere bono Deus incipit eſtque cauſa vera & propriè dicta cur nos faciamus: Et quia ille operatur, ideo nos operamur, ſed non contra. Imo in omni effectu reali putamus verum eſſe quod Deus ſit cauſa cur cauſa ſecunda producat effectum, adeò ut ſi quæratur quare tu diſputas, quare ille currit: quamvis appoſitè reſpondeas quia ego volo, & ille vult loquendo de cauſâ proximâ; rectè tamen etiam dixeris, quia Deus vult, loquendo de cauſâ primâ & originali. Ipſe enim eſt prima & originalis cauſa omnium. Unde B. Thom. l. 3. contra

Deus eſt cauſa cur creatura operetur.

Gent. cap. 97. *Cum*, inquit, *quæritur propter quid de aliquo effectu naturali poſſumus reddere rationem ex aliqua proxima cauſa: dum tamen ſicut in primam cauſam reducamus omnia in voluntatem diuinam: ſicut ſi quæratur quare lignum eſt calefactum ad præſentiam ignis? Dicitur quod calefactio eſt naturalis actio ignis: hoc autem, quia calor eſt proprium accidens ejus: hoc autem conſequitur propriam formam ejus: & ſic inde, quouſque perueniatur ad diuinam voluntatem. Unde ſi quis reſpondet quærenti quare lignum calefactum eſt; quia Deus voluit: conuenienter quidem reſpondet, ſi intendit reducere quæſtionem in primam cauſam, inconuenienter verò ſi intendit omnes alias excludere cauſas.* Sed difficultas eſt an hinc ſimiliter ſequatur voluntatem hominis ideo mala operari quia Deus vult. Verùm extra controverſiam eſt, hoc dici non poſſe. Omnis enim rei Deus eſt cauſa cur fiat eamque facit, ſed peccati nec eſt cauſa cur fiat, nec facit. Nec mirum, cum peccatum non ſit res aliqua, ſed rei conjuncta deformitas. Abſit ergo ut de peccato dicamus Deum velle ut fiat, aut eſſe cauſam cur fiat. Peccatum enim non eſt de genere rerum vel actuum, de quibus (cum Deum habeant cauſam) dicendum eſt Deum eſſe cauſam primam & originalem cur fiant. An verò Deus ſit etiam cauſa actus peccato ſubſtrati, poſteà videbitur ubi docebimus quod ſic.

ARTI-

ARTICULUS V.

QUarta ratio. Si Deus non influit in cauſam ſed ſolum in effectum : ergò ſunt duo prima principia. Conſeq. probatur quia ad hunc actum individuum, volo audire ſacrum, cauſa ſecunda æquè primò concurrit ac Deus. Nec ſatis eſt dicere quod ſolus Deus ſit cauſa prima dignitate & cauſalitate eâ quâ cæteris cauſis dedit virtutem illis inhærentem : quamvis enim indè rectè ſequatur Deum eſſe cauſam primam quæ cauſas ſecundas creavit, & virtutes indidit, ex alio tamen capite ſequitur quod hujus individui actus qui jam fit cum ante non fieret æquè prima principia ſunt Deus & creatura : Nam virtutem illam inhærentem habebat creatura etiam tunc quando quieſcebat, ſed præter eam Deus nihil jam ei tribuit quod antè non tribuebat, ergo quod hunc actum, hoc tempore, hoc loco faciat eſt æque cauſa prima ac Deus, quia ſimul naturâ & tempore concurrit ad illum. Confirmatur, quia ſi Deus non efficeret actum illum qui jam producitur à creatura, Deus non eſſet primum principium ut probatur ex eo quod D. Thom. lib. 2. ſentent. diſt. 37. quæſtione 2. artic. 2. opinionem quæ dicebat actus peccatorum nullo modo eſſe à Deo, nequidem in quantum ſunt actus, dicat eſſe propinquiſſimam errori duplici

Ex concurſu in ſolum effectũ ſequitur eſſe duo prima principia.

qua-

Deus eſt cauſa actus peccati.

quorum prior eſt. Quia ex eâ videtur ſequi quod ſint plura prima principia, hoc enim eſt de ratione primi principii ut agere poſſit ſine auxilio prioris agentis & influentia ejus. Undè ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere cujus actor Deus non eſſet, voluntas humana rationem primi principii haberet: quamuis ſoluere nitantur hîc, dicentes quod voluntas etſi per ſe poſſet actionem producere ſine influentia prioris agentis: non tamen habet à ſe eſſe ſed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principii: ſed hoc videtur inconueniens, ut quod à ſe eſſe non habet, à ſe agere poſſit; cum etiam per ſe durare non poſſit, quod à ſe non eſt. Omnis etiam virtus ab eſſentia procedit, & operatio à virtute, undè cujus eſſentia ab alio eſt, oportet quod virtus & operatio ab alio ſit. Et præterea quamuis per hanc reſponſionem euitaretur quod non eſſet primum ſimpliciter: non tamen poſſet vitari quin eſſet primum agens; ſi ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur ſicut in cauſam. Ita D. Thomas. Ex quibus manifeſte ſequitur etiam eſſe duo prima principia ſi Deus non prius agit, quia ſicut ad principium & cauſam, requiritur quod agat, ita ad primum principium & primam cauſam, requiritur quod primò agat, prioritate ſcilicet naturæ ſeu cauſalitatis de qua diximis. *Si dicas* Deum eſſe primum principium quia agit independenter. R. per hoc non ſolvi argumentum: quamvis enim agat independenter, ſi tamen non agit prius, ergo non eſt primum agens, quemadmodum

ıdmodùm ſi non agit non eſt agens. Adde
ıuod ſic independenter agit ut moveat
:auſam, operetur in cauſâ operante, & in-
luat agenti, quemadmodùm S. Thomas
ſæpius loquitur, ac nominatim hoc ipſo ar-
ticulo 2. ad 3. ubi dicit quod *benè agenti utrumque Deus influat, & ut agat, & ut benè agat.* Et in reſponſione ad 2. docet Deum eſſe cauſam actionis malæ quatenus eſt actio ſecundum quod influit agenti eſſe, poſſe, & agere, & quicquid perfectionis in agente eſt.

Deus influit agenti ut agat.

ARTICULUS VI.

QUinta ratio. Perfectius eſt agere quam non agere, ſed quicquid perfectionis eſt debet Deo ſicut cauſæ attribui; ergo perfectionem illam quam habet cauſa ſecunda dum agit, à Deo accipit, qui proindè in eam influit, ut aſſerit citatis jam verbis D. Thomas. *Sed objicies.* Cauſa 2. agens non niſi extrinſecè perfectior eſt ſeipsà non agente, ut patet ex B. Thomâ qui lib. 2. contra Gent. cap. 23. & alibi actionem tranſeuntem vocat perfectionem facti non facientis; ergo nulla perfectio tribuitur agenti quæ ſit in illo. *Reſpondeo* negando antecedens. Quando enim agens actionem aliquam, etiamſi tranſeuntem producit, habet in ſeipſo perfectionem quam ante non habuit. Unde B. Thomas quamvis actionem tranſeuntem

do;

doceat recipi in paſſo ſicut in ſubjecto, eam tamen aliquando ponit in agente, ut lib. 2. contra Gent. c. 9. quia ſcilicet ſecundum aliquid ſui, utpotè ſecundum originem & influxum eſt in agente à quo procedit, quamvis ſecundum ſuum terminum & effectum recipiatur in patiente. Et hæc eſt ratio cur dicatur perfectio paſſi & non agentis quia ſecundum ſuum terminum & effectum recipitur & manet in paſſo, non in agente. Deinde quis neſciat eſſe relationem realem in agente qua refertur ad patiens quæ non erat priuſquam ageret. Cum ergo relatio, utpotè ens reale ſit quædam perfectio, dicendum eſt in agente, per hoc quod agit, perfectionem aliquam ineſſe quæ non erat antea. Deus autem eſt cauſa omnis perfectionis ut immediatè illam producens, ergo illam perfectionem immediatè cauſam attingens producit, & cauſæ imprimit. *Non eſt aliquid creatum* (inquit Alexander Alen. 1. p. q. 9. membro 2.) *in quo non ſit ſua actio immediatè & ſua eſſentia.*

Sexta ratio. Si Deus concurrit in ſolum effectum & non in cauſam; ergo non eſt cauſa cur actio profluat ab agente: Nam actio non eſt formaliter ipſe effectus in paſſo productus, ſed eſt fluxus & emanatio formæ ab agente in patiens: atqui juxta illam ſententiam, quando producitur calefactio, dealbatio, &c. Deus ſolum operatur effectum in paſſo ſcilicet calorem, albedinem,

bedinem, &c. nec attingit cauſam operantem: ergo licet cauſet actionem quatenus eſt identificata termino & effectui, non tamen eam cauſat quatenus eſt actio ab agente egrediens, quia non facit ut ab illo egrediatur, ſed ſolùm ut in paſſo recipiatur.

ARTICULUS VII.

SEptima. Si voluntas ſeipſam determinat, ómnis autem effectus cauſæ creatæ debet reduci in Deum ut primam cauſam; ergo Deus voluntatem determinat. Confirmatur, quia ſi voluntas ſeipſam determinare poteſt ut liberè agat; ergo & Deus eam: alioquin impotens erit omnipotens Deus, ſi aliquid poteſt homo, quod non poteſt Deus, per quem factus eſt homo.

Octava. Deus producit determinationem voluntatis, ergò determinat voluntatem. Antecedens manifeſtum eſt, quia Deus producit omnem effectum. Sequela quoque probatu facilis eſt, quia ſimiliter benè ſequitur, Deus producit motum lapidis, ergo movet lapidem. Nec valet objectio, quod non ſequatur in omnibus ſimilibus; Non enim ſequitur Deus producit ambulationem, curſum, volatum, ergo Deus ambulat, currit, volat. Dicendum eſt enim hæc non eſſe ſimilia. Nam vocabula iſta, ambulare, currere, &c. ſigni-

ficant actionem ſimul cum paſſione .i. cum ſuſceptione illius actionis in iis quibus tribuuntur. Ambulare enim eſt producere ambulationem in ſe ipſo, & ita de aliis: tale autem vocabulum non eſt determinare, nam determinare cauſam non eſt aliud quàm per eam producere actionem ſive in ſe ſive in alio.

ARTICULUS VIII.

NOna. Vel Deus ſcit quando voluntas creata ſit à ſeipſa determinabilis ad liberè agendum, vel non ſcit. Si prius, ergo poteſt eam ſic determinare ut liberè agat, alioquin enim ſciret aliquid reale futurum quod non eſſet ipſe facturus, ſcilicet voluntatem determinabilem & determinandam ut liberè agat. Si poſterius, ergo aliquid eſt quod Deus non ſcit, ſcilicet modus ille quo voluntas eſt determinabilis, ita ut poſſit determinari & liberè agere.

Decima. Deus in ſuis operibus non eſt indeterminatus, ſed omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, quod conſilium certum, eſt & determinatum, unde & decretum vocatur; ergo ad omne id quod agit, voluntatem ſuam determinat, & per conſequens ad hoc idem determinat omnia inſtrumenta quibus utitur, inter quæ ſine dubio eſt omnis voluntas creata. Pro ratione hac conſuli poteſt Scotus in 1. ſent. diſt. 41. 46. & 47.

Un-

Undecima ratio. Deus utitur omnibus cauſis tanquàm inſtrumentis, ſed qui utitur inſtrumento applicat & determinat illud ad agendum; ergo Deus applicat & determinat omnes cauſas. Quod argumentum, quia efficaciter concludit ſi major propoſitio concedatur, ideò nunc à multis negatur, ac nominatim à Bellarmino lib. 4. de gratia & libero arbitrio capite 15. ubi clarè ſignificat, ſi Deus uteretur voluntate noſtrâ tanquàm inſtrumento, quod relatio quæ in actione conſideratur, referretur ad Deum; ita ut propter eam diceretur determinare & applicare cauſas ſecundas. Verba ejus ſunt: *Non dicitur Deus determinare vel applicare voluntatem ad opus, quia relatio illa non refertur ad Deum* (ergo ſi referretur Deus diceretur determinare & applicare voluntatem) *ſed ad ſolam voluntatem. Referretur autem etiam ad Deum ſi ipſe uteretur voluntate tanquam inſtrumento ad illam ipſam actionem faciendam*: & conſequenter Deus diceretur eam determanare & applicare. Nunc ſubſume, atqui Deus utitur voluntate cæteriſque cauſis tanquàm inſtrumentis: ergo. Subſumptio hæc in D. Thoma eſt clara, & ſupra eam probavimus ex pluribus ejus locis, ac nominatim ex lib. 3. contra Gent. cap. 94. 147. 148. 149. ubi disertè ait. *Quæcunque rerum aliquid operantur inſtrumentaliter agunt ab eo mota. Anima noſtra operatur ſub Deo ſicut agens inſtrumentale*

Deus utitur creaturis ut inſtrumẽtis.

mentale ſub principali agente, &c. Opuſc. autem 1. c. 23. ita fatetur creaturam eſſe inſtrumentum Dei, ut neget eam Deo cooperari inſtar duorum navem trahentium. *Sciendum*, inquit, *quod aliquid dicitur cooperari alicui dupliciter. Uno modo quia operatur ad eundem effectum, ſed per aliam virtutem, ſicut miniſter domino, dum ejus præceptis obedit, & inſtrumentum artifici à quo mouetur. Alio modo dicitur aliquid cooperari alicui in quantum operatur eandem operationem cum ipſo, ſicut ſi diceretur de duobus portantibus aliquod pondus vel de pluribus trahentibus nauem quod unum alteri cooperatur. Secundum igitur primum modum creatura poteſt dici creatori cooperari quantum ad aliquos effectus qui fiunt mediante creaturâ, non tamen quantum ad illos effectus qui fiunt immediatè à Deo, ut creatio, & ſanctificatio: ſecundo autem modo creatura creatori non cooperatur: &c.* Similiter D. Bonavent. in 2. diſtinctione 37. quæſtione 1. & Driedo l. de gratia & lib. 2. arb. c. 3. hunc cooperationis modum negant, poſterior tamen noſtram de inſtrumento ſimilitudinem diſertè confirmat ex ſcriptura tract. 6. l. de capti. cap. 6. Cum ergo duo ſint modi quibus creatura dici poteſt cooperari creatori, vel ſicut inſtrumentum cooperatur artifici, vel ſicut coadiuvans ad trahendum navem aut trabem portandum, quæritur uter ſit eligendus & uſurpandus? Poſteriorem amplectitur Bellarminus dicto capite 15.

Sed

Sed quandoquidem poſteriorem S. Thomas abjiciat, priorem verò ampleƈtatur & afferat, quid dubitamus Angelicum Doƈtorem ſequi, fateriq́ue nos miſeras creaturas eſſe inſtrumenta Dei, & cum Deo & per Deum operari ſicut inſtrumentum operatur cum artifice & per artificem à quo movetur, excitatur & applicatur ad agendum? *Sed erit qui* reſpondeat creaturas quidem eſſe inſtrumenta Dei quatenus habent ſuum eſſe à Deo, quod præciſè ad denominationem inſtrumenti ſufficit, & quatenus ab eo pendent in operando, ſed hinc non ſequitur quod ab eo præmoveantur & applicentur ad operandum. *Reſp.* quòd ad rationem inſtrumenti veri & communiter diƈti non ſufficit accepiſſe eſſe & dependere ab alio ſimul operante, ſed neceſſarium eſt quod non agat niſi aƈtualiter moveatur. *Inſtrumentum*, inquit D. Th. lib. 2. contra Gent. cap. 21. *nunquam adhibetur ad cauſandum aliquid niſi per viam motus.* & Opuſculo 3. cap. 3. *Ridiculum eſt*, ait, *etiam apud indoƈtos ponere inſtrumenta moueri non ab aliquo principali agente. Simile enim eſt hoc ac ſi aliquis circa conſtitutionem arcæ vel leƈti ponat ſerram vel ſecurim abſque carpentario operantem.* His multiſq́ue aliis locis B. Thom. de inſtrumento manifeſtè ait quod, præterquàm quod acceperit eſſe, virtutemq́ue aƈtivam, non poſſit tamen ad opus exire, niſi moveatur & excitetur à principali agen-

agente. Eo autem modo cauſas ſecundas eſſe inſtrumenta Dei affirmat dicto c. 21. multiſque aliis ſupra allatis. Et *quia poſſet objici*, ſi voluntas eſt inſtrumentum Dei, ac proindè neceſſe habet ab eo moveri ergo non liberè agit. Sciendum eſt quod idem argumentum ſibi olim objecerit S. Thomas quæſt. 24. de veritate art. 1. argumento 5. Omne quod movet motum, movet ſicut inſtrumentum, ut patet per comment. in 8. Phyſicorum. Inſtrumentum autem non eſt liberum ad agendum, cum non agat niſi ſecundùm quod aliquis eò utitur: Cum ergo mens humana non operetur niſi mota à Deo, videtur quod non ſit liberi arbitrii. Ad quod argumentum facilis erat reſponſio dicendo quod mens humana non propriè movetur à Deo, ſed impropriè ſolum, quodque non moveatur niſi quatenus ab eo accepit eſſe & ab eo dependet in operando. Verum quia ſciebat hæc falsò dici, *ideò reſpondet* quòd *inſtrumentum dupliciter dicitur: uno modo propriè quando ſcilicet aliquid ita ab altero movetur quod non confertur ei à movente aliquod principium talis motus ſicut ſerra movetur à carpentario, & tale inſtrumentum eſt expers libertatis. Alio modo dicitur inſtrumentum magis communiter, quicquid eſt movens ab alio motum, ſive ſit in ipſo principium ſui motus ſive non, & ſic ab inſtrumento non oportet quod omninò excludatur ratio libertatis, quia aliquid poteſt eſſe ab alio motum,*

quod

uod tamen ſeipſum mouet, & ita eſt de mente humana. Quibus verbis clarè aſſerit mentem humanam à Deo moveri & inſtrumenti rationem habere, nec tamen libertate privari, quia ſic movetur, ut etiam ſeipſam moveat: eandemque reſponſionem indicavimus partim ex 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. & ex quæſt. 105. art. 4. ad 1. 2. & 3. partim etiam aliundè. Denique quòd rationi libertatis non repugnet moveri ab alio inſtrumentaliter, vel ex eo collige quod natura humana Chriſti juxta Theologorum ſententiam ſit inſtrumentum divinitatis ab ea aſſumptum ad opera noſtræ ſalutis exercenda. Vide lib. 4. contra Gent. cap. 41. & in quæſtionibus diſputatis quæſtione unica de unione verbi art. 5. ad 4. & 3. p. q. 19. ar. 1. ad 2. Si autem divinitas in Chriſto habitans corporaliter naturâ humanâ utebatur tanquàm inſtrumento, nec tamen libertati ejus officiebat, ergo libertati non repugnat quod voluntas à ſuperiori movente, ſcilicet Deo moveatur. Sed negari non poteſt quin divinitas efficaciter operaretur in anima Chriſti omnem actionem, motum, aſſenſum voluntatis tametſi liberrimè agentis, efficaciter (inquàm) cauſalitate Phyſicâ ſeu propriè dicta: Id enim planè ſignificant hæ Chriſti voces Joannis 5. *Non poſſum ego à me ipſo facere quicquam*: & 14. *Pater in me manens ipſe facit opera*: ergo ſicut efficax divinitatis operatio libertatem humanę vo-

Ab inſtrumẽto non excluditur ratio libertatis.

Deus operabatur phyſicè in Chriſto.

voluntatis non excludit in Chriſto, ita nec in nobis. *Objicies* 1. D. Thomas dicto opuſculo 1. cap. 23. comparat cauſas ſecundas famulo, ſed famulus non determinatur phyſicè à Domino ſuo, ergo nec cauſæ ſecundæ determinantur à Deo. *Reſpondeo* negando conſequentiam, quia ſimilitudini ſufficit quòd Deus ad creaturam ita ſe habeat, ſicut in moralibus Dominus ſe habet ad famulum id eſt ſicut movens ad motum, & quemadmodum ſe habet in actione Phyſica artifex ad inſtrumentum, hoc eſt ut movens & applicans, ideoque determinans ipſas cauſas activas. Sed inſuper obſerva quod non dicat eo loco D. Thomas Deum ita coöperari creaturis ſicut Dominusfamulo, vel ſicut inſtrumentum artifici, ſed copulativè loquitur, ſatis ſignificans Deum non ſolùm coöperari creaturæ ſicut Dominus coöperatur famulo; ſed etiam ſicut artifex coöperatur inſtrumento. *Objicies* 2. Artifex aliquid imprimit inſtrumento, ſed Deus nihil imprimit cauſæ 2. ut agat: ergò non movet eam ſicut artifex movet inſtrumentum. De hoc argumento quædam dicentur p. 3. ſequenti. *Pro tempore hîc reſpondemus* quòd agens non ſemper det inſtrumento novam formam aut qualitatem ſed ſolum motum ut ex quæſt. 27. de veritate art. ultimo cognoſci poteſt. Ideoque nos etiam dicimus Deum movere cauſam non imprimendo illi novam ali-

quam

quam formam aut qualitatem ab actione realiter diſtinctam, ſed influendo illi quod agat, ut ex lib. 2. ſententiarum ſupra diximus. *Objicies* 3. Artifex per inſtrumentum agit ſolum mediatè, ergo Deus non agit per cauſas ut per inſtrumenta. *R. Neg. Conſ.* diximus enim Deum cum ſit infinitus immediatè tangere ſicut cauſam, ita & effectum.

ARTICULUS IX.

DUodecima ratio. Quicquid Deus ab æterno predefinivit ac prædeterminat, illud etiam in tempore prædeterminat: ſed omnem effectum qui eſt, fuit, vel erit, ab æterno prædefinivit ac prædeterminavit: ergo eundem in tempore prædeterminat. Major nota eſt, & confirmatur quia providentia Dei eſt cauſa rerum, ita ut omnia eveniant ſicut ipſa diſpoſuit ut evenirent, quemadmodum docet S. Thomas 1. parte quæſtione 22. & Alexander Alenſis 1. parte quæſtione 26. membro 3. articulo 3. Minor probatur, quia providere Dei eſt prædeterminare ut præſupponit Alexand. Alenſis 1. parte quæſtione 29. membro 4. articulo 3. & Divus Thomas quando quæſtione 5. de veritate articulo 5. ex verbis Damaſceni dicentis ea quæ ſunt in nobis Deus non prædeterminat, infert, ergo ea quæ ſunt in nobis Deus non providet;

videt: & reſpondet non quòd aliud ſit prædeterminare & providere, ſed quod actus liberi arbitrii Deus ita providet ac determinat, ut non eodem modo illos prædeterminet quo prædeterminat actiones cauſarum naturalium, ſcilicet neceſſitatem inferendo, ut alibi làtius diximus. Cum ergo providere Dei ſit prædeterminare, Deus autem omnem cauſam & omnem effectum provideat, dicendum eſt etiam quod prædeterminet. *Verum hoc* argumentum eludere quidam conantur 1. dicendo quòd Deus ab æterno determinaverit omnes effectus, ſed non ante prævifionem determinationis cauſarum ſecundarum, præſertim contingentium & liberarum, alioquin enim & peccata prædeterminâſſet ante præviſionem malæ voluntatis, & ideò malam voluntatem eſſe voluiſſet ait Bellarminus lib. 4. cap. 15. *Secundò* dicunt Deum non determinâſſe numerum individuorum corruptibilium, ut culicum, muſcarum, &c. neque ut hæc muſca hodie naſcatur, cras illa, ſed tantum in genere providiſſe & providere ut non deficiat ſpecies ulla animalium. Ita Bellarminus ibidem probans ſuum dictum ex D. Thom. 1. p. quæſt. 23. art. 7. & addens: Quod ſi providentia divina non prædeterminavit in particulari individua ſubſtantialia, licet ea præviderit futura, & voluerit coöperari cauſis ſecundis in eo-

rum

rum productione, multò minus determinavit in particulari omnes actiones tranſeuntes liberas, licet præviderit, &c. *Tertiò* addit Bellarminus Deum futuras actiones liberas non videre niſi in humanâ voluntate, quod ex ſcriptura & D. Auguſtino probare conatur. Quibus conformiter alii dicunt res futuras eſſe cauſas ſcientiæ Dei juxta illud Origenis quod etiam apud S. Hieronymum invenitur, non propterea aliquid erit quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ideò ſcitur à Deo antequàm fiat. *Denique*, quod cum iſtis ferè coincidit, alii dicunt Deum æterno conſilio & voluntate abſolutoque decreto non prædeterminâſſe omnia quæ in tempore fiunt, multò minus independenter ab omni præviſione, etiam conditionalium liberarum; ideoque neceſſariò admittendam eſſe volunt ſcientiam conditionalium liberarum quâ Deus videt quid quiſque pro innata ſua libertate facturus eſſet, ſi hoc vel illo ordine collocaretur, ſi hoc vel iſto modo ei ſuaderetur. Atque hanc ſententiam ita ex SS. Damaſceno & Thoma aliiſque Patribus & Scholaſticis probatam volunt ut contrariam parum tutam appellent, nec amplectendam putent ab iis qui bene de divinis rebus ſentiunt. *Sed reſpondeo* iſtas ſententias à nullo ſancto Patre, hactenus traditas. Nam Molina ſe primum ſcientiæ conditionalium inventorem profitetur qui quæſt.

Molina eſt inventor ſcientiæ conditionalium.

quæſtione 23. articulo 4. & 5. diſputatione 1. ſuam de concordia liberi arbitrii cum prædeſtinatione & præſcientia Dei per mediam ſcientiam quam vocat, ſeu ut alii per ſcientiam conditionalium liberarum diſputationem concludens ita loquitur. *Quia res eſt magni momenti ac ratio conciliandi libertatem arbitrii cum diuinâ valdè lubrica, & hæc noſtra prædeſtinatione à nemine quem viderim hucuſque tradita, ideò ſatius hæc duxi paulo fuſius explicare.* De eadem vero ante præmiſerat, quod ſi iſta ejus dicta, data explanataque ſemper fuiſſent, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, &c. neque ex Auguſt opinione concertationibuſque cum Pelagio tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent. Item poſteà. Neque vero dubito quin ab Auguſtino & cæteris Patribus unanimi conſenſu comprobata fuiſſet hæc noſtra de prædeſtinatione ſententia, rationque conciliandi libertatem arbitrii ſi propoſita illis fuiſſet. Sentit ergo ſe primùm iſtius ſcientiæ mediæ & optimæ rationis conciliandi libertatem hominis cum gratia Dei, inventorem: quæ cùm SS. illos Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, Chryſoſtomum latuerit, uni Molinæ detecta eſt, quaſi verò SS. illis Patribus vel doctior ſit vel ſanctior. An

Auguſt.

Auguſt Eccleſiæ peculiariter datus Doctor, & Pelagianorum à Deo excitatus malleus non fuit tam perſpicax quam Molina, ut adinveniret conciliationem libertatis cum gratia de qua erat ipſi cum Pelagianis ſumma concertatio? Invenit ſanè & conciliavit optimè, ſed non per conditionalium ſcientiam quam nec agnovit, nec ſi agnoviſſet recepiſſet, quia non eſt vera ratio. Certum eſt enim Deum ab æterno prævidiſſe & prædeterminaſſe omnia quæ fiunt in tempore, & hoc independenter ab omni prævi-ſione conditionalium liberarum, ut proinde nulla ſit agnoſcenda ſcientia media. *Probatur primò.* Objectum divinæ ſcientiæ eſt id quod futurum eſt, vel quod eſt poſſibile ſolùm, & non futurum, ergo omnis ſcientia Dei vel eſt ſcientia viſionis vel ſimplicis intelligentiæ. Conſequentia eſt ab objecto (ut videre licet 1. parte quæſtione 14. articulo 9.) ad habitum. Antecedens confirmatur quia conditiones illæ quæ apponuntur ut dicatur eſſe ſcientia conditionalium vel ſunt futuræ, vel non. Si prius, ſunt objectum ſcientiæ viſionis; ſi poſterius, ſunt objectum ſimplicis intelligentiæ. Neque verò aliam rationem induunt eo ipſo quo naturam conditionis ſortiuntur: nam de conditione ut conditio eſt, ſive ſpectetur nudè ut conditio, ſive ſimul cum re cujus eſt con-

Deus abſolutè prædefiniuit omnia.

Nulla eſt ſciẽtia media.

conditio ſimiliter quærimus an ſit futura necne, & tunc redit argumentum ut prius. *Secundò probatur* ex eo quod inter articulos Pariſiis condemnatos anno Domini 1270. inveniatur iſte. *Item*, (error eſt dicere) *quod aliqua poſſunt caſualiter euenire reſpectu primæ cauſæ* : & (error eſt dicere) *quod falſum eſt omnia eſſe præordinata à prima cauſa, quia tunc euenirent de neceſſitate.* Sentiebant ergo jam olim Pariſienſes Doctores verum eſſe quod omnia ſint à Deo præordinata, nec ob id de neceſſitate eveniant : quam eorum ſententiam ſecutus eſt noſter S. Thomas Pariſienſium Doctorum gloria ſic inquiens quod lib. 12. art. 5. *Omnia ſunt à Deo prædeterminata & ordinata* ; lib. 3. contra Gent. cap. 17. *Omnes ſecundorum agentium actiones ordinantur à primo agente.* Cap. 76. *Ipſe Deus eſt immediatè ſuâ prouidentiâ omnia diſpenſans : horum ſingularium ordinatio eſt immediatè per prouidentiam diuinam à Deo. Diuina ſapientia eſt ordinatiua qui & quot & qualiter ex ejus virtute progrediantur effectus.* Cap. 94. *Cum Deus ſit omnium exiſtentium cauſa rebus omnibus conferens eſſe, oportet quod ſuæ prouidentiæ ordo res omnes complectatur : Deus in prouidendo ſuæ ſapientiæ præmeditatione ſempiternâ, omnia ordinat quantumcunque minima videntur : Diuinæ prouidentiæ non ſolùm ſubduntur effectus, ſed etiam cauſæ & modi eſſendi.* Cap. 97. *Oſtenſum eſt quod Deus per ſuam prouidentiam omnia ordinat in diuinam bonitatem ſicut in finem.* Cap. 98.

Omnia ſunt à Deo prædeterminata.

98. *Omnia ex diuina prouidentia ordinantur.* Cap. 102. *Ab ejus prouidentia totus hic ordo fluit.* Similiter opuſcul. 3. cap. 136. *Ab ipſo Deo omnia diriguntur in finem: omnia ordinantur ab ipſo: omnia gubernantur & reguntur à Deo.* Cap. 135. *Ipſe immediatè omnia ordinat & diſponit.* Cap. 123. *Totus ordo cauſarum ſecundarum & virtus earum eſt à Deo.* Vide etiam quæ diximus ex 1. parte quæſt. 116. ex quæſtione 6. de potentia, & quæſtione 5. de veritate. Quibus omnibus locis clarè aſſerit Deum ab æterno prædeterminaſſe, ordinaſſe, prælocutum eſſe, & ſtatuiſſe omnes effectus omniumque effectuum ordinem, modum & menſuram. Independenter ergo à præviſione conditionalium decrevit ea quæ futura eſſe voluit, præſertim cum & conditionales illæ liberæ ſint effectus divinæ providentiæ, ac proinde de numero eorum quæ ordinavit, definivit, ac prædeterminavit; imò *Deus non prævidet aliquem benè uſurum libro arbitrio niſi quia vult vel præordinat eum benè illo uſurum*: ut etiam docet Scotus lib. 1. diſt. 41. Addamus & quædam alia. *Neceſſe eſt*, inquit idem Thomas 1. parte quæſt. 22. art. 2. *Omnia quæ habent quocunque modo eſſe, ordinata eſſe à Deo in finem, ſecundùm illud Apoſtoli ad Rom.* 13. *Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Et quæſt. 25. art. 5. *Non poteſt eſſe quod aliqua faciat quæ non præſciuerit & præordinauerit ſe facturum.* Et opuſculo 3. cap. 130. *Quicunque exequitur*

Deus omnia ordinat.

Deus præordinat uſum futurum liberi arb.

quitur ſuæ prouidentiæ ordinem per aliquas media causas, neceſſe eſt quod effectus illarum mediarum cauſarum cognoſcat & ordinet, alioquin extra ordinem ſuæ prouidentiæ caderent, & tanto perfectior eſt prouidentia gubernantis, quantò ejus cognitio & ordinatio magis deſcendit ad ſingularia, quia ſi aliquid ſingularium à cognitione gubernantis ſubtrahitur, determinatio ipſius ſingularis ejus prouidentiam diffugiet. Oſtenſum eſt autem ſupra quod neceſſe eſt omnia diuinæ prouidentiæ ſubdi, & manifeſtum eſt quod diuina prouidentia perfectiſſima eſt, quia quidquid de Deo dicitur, ſecundùm maximum conuenit ei. Oportet igitur quod ordinatio prouidentiæ ipſius ſe extendat uſque ad minimos effectus. Item quæſt. 6. de veritate art. 6: *Cauſa ſecunda non ordinatur ad effectum niſi ex ordinatione cauſæ 1.* Deus ergo ordinat omnem effectum cauſæ ſecundæ ac etiam ipſam cauſam ſecundam ad talem effectum. Et hanc eandem doctrinam confirmant non ſolùm quæ idem Doctor habet totâ quæſtione 22. primæ partis, & quæſtione 5. de veritate: & opuſculo 3. cap. 123. & lib. 3. contra Gent. cap. 64. & alibi, ſed etiam quod ſcripturæ, Patres & Scholaſtici omnes uno ore affirmant Deum ſimpliciter & abſolutè omnia providere, gubernare & dirigere nullâ factâ mentione prævifionis conditionalium liberarum, quam teſte Molinâ non agnoverunt ut ad providentiam & ſcientiam Dei prærequiſitam. Sapientiæ octavo. *Attingit à fi-*

Ordinatio prouidētiæ Dei extēndit ſe ad minima.

Sap. 8. & 11.

fine uſque ad finem fortiter & diſponit omnia ſuauiter: Et capite undecimo: *Omnia in menſura, numero & pondere diſpoſuiſti Domine.* Si omnia diſponit, omnibuſque modum, ſpeciem, & ordinem diſpoſuit; ergo cauſas & earum effectus, ipſumque cauſarum ordinem ad effectus diſpoſuit, prædefinivit ac prædeterminavit. Quid enim eſt ab æterno prædeterminare, niſi diſponere & ordinare ut hoc modo, in hac ſpecie, & in hoc ordine proveniant quæ ventura ſunt. Neque verò dependenter à præviſione conditionalium ſic omnia diſpoſuit & ordinavit: nam & ipſas conditionales liberas tanquam ſuæ providentiæ effectum diſpoſuit ac ordinavit, ſi omnia diſpoſuit. Unde D. Thom. lib. 3. contra Gentes capite 97. *Omnia*, inquit, *in menſura & numero & pondere diſpoſuit Dominus, ut per menſuram quantitatem ſiue modum aut gradum perfectionis uniuſcujuſque rei intelligamus: per numerum verò, diuerſitatem & pluralitatem ſpecierum conſequentem ex diuerſis perfectionis gradibus: per pondus verò, inclinationes diuerſas ad proprios fines & operationes, &c.* Et cap. 64. *Ordo*, ait, *rerum creatarum ſecundùm diſtinctionem naturarum & graduum ipſarum procedit ex diuinâ ſapientiâ: ſicut in ſecundo oſtenſum eſt: ergò & ordo operationis per quam res creatæ magis appropinquant ad ultimum finem. Ordinare autem actiones aliquarum rerum ad finem eſt gubernare ipſas. Deus igitur per ſuæ ſapientiæ prouidentiam rebus gu-*

 berna-

bernationem & regimen præſtat. Hinc eſt quod ſacra ſcriptura Deum Dominum & Regem profitetur ſecundum illud pſalmiſtæ. Dominus ipſe eſt Deus. Et idem. *Rex omnis terræ Deus. Regis enim eſt & Domini ſuo imperio regere & gubernare ſubjectos: unde & rerum curſum ſacra ſcriptura diuino præcepto adſcribit. Job 9. qui præcipit ſoli & non oritur, & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo.* Denique ſententiam hanc de abſolutâ Dei omnium rerum ordinatione & prouidentia SS. Patribus eſſe conformem probare licet ex Ambroſ. lib. 1. officiorum cap. 13. Chryſoſt. in libris ſex de prouidentia, & aliis. Sed unum Auguſtinum ſufficiet produxiſſe in medium qui l. 5. de civit. Dei cap. 9. dicit quòd *omnia maximè Dei voluntati ſubdita ſunt, cui etiam volũtates omnes ſubjiciuntur quia non habent poteſtatem niſi quam ille concedit.* Item. *Quod verò negat (Cicero) ordinem omnium cauſarum eſſe certiſſimum, & Dei præſcientiæ notiſſimum, plus eum quam Stoici deteſtantur.* Et cap. 11. dicit quòd *à Deo eſt omnis modus, omnis ſpecies, omnis ordo, menſura, numerus, pondus.* Quid clarius? An non apertè ſignificat Deum cuique rei dediſſe modum, ſpeciem & ordinem id eſt prædeterminaſſe omnia? Ipſas etiam cauſas omnes à Deo diſponi ac ordinari diſertis verbis docet lib. 7. de civit. Dei c. 29. inquiens. *Illum Deum colimus qui naturis à ſe creatis & ſubſiſtendi & mouendi initia fineſque conſtituit, qui rerum cauſas habet, nouit atque diſponit.* Et infrà:

Deus rerũ cauſas nouit diſponit & ordinat.

frà: *qui cauſas non ſolum principales ſed etiam ſubſequentes nouit atque ordinat.* Et magiſtro ſuo conformis S. Proſper in Epiſtolâ ad Ruffinum. *Omnia*, inquit, *Dei judicio nouimus ordinari.* Et l. 1. de vocatione Gentium cap. 14. dicit ſe ipſum non ignorare *quòd Deus ſit ordinator eorum omnium, quorum differentias ſiue in habitu corporum, ſiue in qualitatibus animorum dijudicare non poteſt.* Et lib. contra Collat. cap. 12. diſertè aſſerit voluntatem noſtram à Deo formari, regi, & ordinari. Neque verò hinc ſequitur Deum velle peccata & peccata ipſa prouidiſſe ac prædeterminaſſe. Peccatum enim non eſt natura aliqua ut docet D. Thomas opuſculo 3. cap. 115. ſed eſt nihil. *Manifeſtum eſt* ait S. Aug. tract. 1. in Joannem *quia peccatum nihil eſt,* quod proinde ſine Deo factum eſſe dicitur Joan. 1. *Sine ipſo factum eſt nihil* .i. peccatum, juxta expoſitionem Alexand. Alenſis 1. p. q. 40. membro 1. ad 4. ex Aug deſumptam. *Peccatū eſt nihil.*
Dicimus ergo Deum ordinaſſe & determinaſſe omnia quæ fiunt .i. omnes res, omnes operationes, omnes actus. Verum quia peccatum non eſt res aliqua, ſed rei conjuncta deformitas & obliquitas, ideo ipſum non providit nec prædeterminavit, ſed ſolum permittit, punit, & ex eo bonum elicit. Ex dictis patet neutiquam recipiendum eſſe quod à quibuſdam dicitur, Deum abſoluta voluntate non prædefiniviſſe ab æterno, omnia quæcunque fiunt in tempore:

Multò autem minus recipiendum eſt quod Joannes Mariana libro 2. de morte & immortalitate cap. 13. docet inquiens: *Quidquid electuri ſumus, vidit Deus intuitu æterno, &c. vidit inquam non ſanxit, prædixit, non definiuit ut fierent, præſcit omnia, ſed non omnia præfinit quæ ſunt Damaſceni verba.* Et mox. *Cenſeo actionem peccati à Deo non definiri, permitti tantum.* Item: *Actiones bonas Deus ſuâ prouidentiâ ita complectitur, ut ad eas inuitet & impellat, offeratque opem ſuam ad peragendum quod eſt honeſtum: non tamen ut ſigillatim definiat, ut ſingula ſuo ordine, loco & tempore fiant. Pleraque noſtro arbitrio, noſtroque relinquuntur conſilio à quo & definitionem accipiunt. Sic arbitror judicandum de minutis aliis tum rebus tum actionibus. Rectè Thomas Aquinas quodam in loco, Deum in ſuâ prouidentiâ culicum & muſcarum numerum non prædefiniuiſſe ait.* Hoc inquam nullo modo eſt recipiendum, cum ſit jam citatis auctoritatibus manifeſtè contrarium. Quomodo Damaſcenus dicens Deum non omnia præfiniviſſe ſit explicandus, ſup. ex B. Thomâ diximus. Quod ſecundo loco negat Mariana in bonis actibus ſingula definiri ut ſuo loco, ordine & tempore fiant, apertè falſum eſt. *Diuina enim ſapientia eſt ordinatiua, qui & quot & qualiter ex ejus virtute progrediantur effectus etiam in infimis rebus* ait D. Thomas libro 3. contra Gent. capite 76. Ubi non ſolum docet Deum ſingula ordinaſſe, & qualiter ſeu quomodo

Deus ordinat qui, quot, & qualiter effectus eueniãt.

&

& quo ordine eventura ſunt, ſed etiam numerum rerum quantumvis infirmarum ab eodem ordinari aſſerit, contra quam opinatur idem Mariana. Deinde lib. 12. capite. 35. diſertis verbis affirmat per intellectum & voluntatem Dei determinari & præſcribi omnem effectum & omnis effectus conditionem: *Effectus*, inquit, *ab intellectu & voluntate ſequitur ſecundum determinationem intellectus & imperium voluntatis: ſicut autem per intellectum determinatur rei factio & quæcunque alia conditio, ita & præſcribitur ei tempus*: quod exemplo declarat. *Non enim*, ait, *ſolùm ars determinat ut hoc tale ſit, ſed ut tunc ſit, ſicut medicus ut tunc detur potus*. Et infrà: *Oportet ad hoc quod voluntas ſit ſufficiens cauſa* (qualis eſt voluntas Dei) *quod effectus ſit quando voluntas effectum eſſe diſpoſuit*. Vides quomodò Deus & tempus & locum diſpoſuerit ſuorum effectuum? Deinde quoties bona operor, agámne Domino Deo gratiàs pro effectu & opere præſtito, ſed quod tali die, tali horâ, tali loco, tali ordine fecerim mihi tribuam? Abſit hoc à me Domine: ſi enim ſic loquerer, ſtares adverſum me dicens: *Quid habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?* 1. Cor 4. Fateor ergo Domine Deus quod in me nihil ſit ex me præter peccatum: ſi bonum operatus ſum, tu feciſti: ſi loco & tempore oportunis, tu feciſti: ſi ordine debito, & hoc ipſum tu feciſti. Tu

Effectus ſequitur determinationẽ voluntatis Dei etiam quoad tempus.

enim Domine Deus meus ſingula opera tua, etiam illa quæ vis eſſe opera mea ita diſponis, ordinas, ac definis ut non tantum offeras opem, ſed etiam præſtes ut acceptem; non ſolum ſuades ac perſuades, ſed realiter in me creaturâ tuâ operaris; nec tantum actiones bonas providentia tua complectitur, ſed etiam ordinem, locum, & tempus quo fiant, definis. Alioquin enim quomodo omnia in menſurâ, numero, & pondere diſponeres? Quomodo modum, ſpeciem, & ordinem imponeres? quomodo omnia provideres & ordinares, ſi ſolas actiones definiens, noſtro arbitrio noſtroque relinqueres definiendum conſilio quo loco, quo ordine, quóve tempore velimus operari? Audiamus Aug. tempus & locum à Deo definita docentem. *Adulter,* inquit homilia 23. inter 50. *non fuiſti in illâ tuâ vitâ præteritâ plenâ ignorantiâ, nondum illuminatus, nondum bonum malumque diſcernens, nondum credens in illum, qui te neſcientem regebat. Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, ſervabam te mihi. Ut adulterium non committeres, ſuaſor defuit: ut ſuaſor deeſſet, ego feci: Locus & tempus defuit: & ut hæc deeſſent, ego feci. Affuit ſuaſor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non conſentires, ego terrui: Agnoſce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admiſiſti. Mihi debet iſte quod factum eſt, & dimiſſum eſt iſti: mihi debes & tu quod non admiſiſti. Nullum eſt enim peccatum quod fecit homo, quod non poſſit fa-*

Deus etiam definit quo tempore ſit agendum.

facere alter homo: ſi deſit rector à quo factus eſt homo. Ecce quomodo Deus & locum & tempus definit ut non ſint oportuna ad malè agendum: qui verò facit ut deſit locus & tempus male agendi, non faciet ut ſit locus & tempus bene agendi? facit omnino. Unde idem Auguſtinus omnipotentiæ Dei eſſe dicit in Enchiridio cap. 98. quod malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, ad bonum convertat: & lib. 5. de Geneſi ad litteram, c. 22. docet *quod à Deo ſit omnis menſurarum modus, omnis parilitas numerorum, omnis ordo ponderum*.

ARTICULUS X.

VErum quia ſolet objici quod ſi Deus omnia præordinavit abſolutâ voluntate, ergo non relinquitur locus orationibus, adhortationibus, conſiliis: Audi B. Proſperum eandem objectionem ſic proponentem & reſolventem lib. 2. de vocatione Gentium cap. 34. (quod apud Ambroſium eſt caput 10.) *Contra hanc* (de electione locutus erat) *invictæ veritatis ſplendidiſſimam lucem ſolent quidam non ſobriè dicere, ſuperfluò ad acquirenda bonorum operum merita laborari, fruſtra etiam orationibus quibus Deus exorandus ſperatur, inſiſti, ſi ex incommutabili propoſito ejus Chriſtianæ gratiæ ſubſiſtit electio, nec aliter quicquā procedere poteſt quam omnipotentis voluntate diſpoſitum eſt. Sed qui ſe ingenioſè* *Ex incōmutabili propoſitio Dei non excluditur ſtudium orandi.*

hoc arbitrantur opponere, non intelligunt ſcientiam Dei, quæ & præterita, & præſentia, & futura complectitur, tempore non teneri, & tam in conſpectu ejus aſtare eà quæ gerenda ſunt, quàm illa quæ aut geruntur, aut geſta ſunt. Quod cùm veriſſimum ſit, non indiget morâ cernendi & diſcernendi illa virtus quæ perpetuò vereque intuitu creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda ſimul aſpicit, &c. Vide & capu: 36. ubi tandem concludit : *Quamuis ergò quod ſtatuit Deus, nullâ poßit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrii deuotio relaxatur; cùm implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum : & qui bona geſſerint, non ſolùm ſecundum propoſitum Dei, ſed etiam ſecundum ſua merita coronentur. Ob hoc enim in remotiſſimo ab humanâ cognitione ſecreto, præfinitio hujus electionis abſcondita eſt. Sed opponere* etiam ſolent, ſi Deus ita prævidet ac diſponit omnia independenter à voluntate noſtrâ : quare non omnia fiunt neceſſariò? quomodo non peccamus neceſſitate potiùs quam voluntate? *Attende quæſo*, ait Auguſtinus libro 3. de libero arbitrio cap. 3. *quanta cæcitate dicatur, ſi præſciuit Deus futuram voluntatem meam, quoniam nihil aliter poteſt fieri quam præſciuit, neceſſe eſt eſſe ut velim quod ille præſciuit : ſi autem neceſſe eſt, non jam voluntate ſed neceſſitate id me velle fatendum eſt.*

Ille quẽ præſciuit Deus peccaturum non neceſſitate peccat.

eſt. O ſtultitiam ſingularem! & rurſum capite 4. Auguſtinus petit ab Evodio. *Unde tibi videtur aduerſum eſſe liberum arbitrium noſtrum præſcientiæ Dei? quia præſcientia eſt, an quia Dei præſcientia eſt? Evod. Quia Dei potius. A. Quid ergo, ſi tu præſcires peccaturum eſſe aliquem, non eſſet neceſſe ut peccaret? E. Imò neceſſe eſſet ut peccaret; non enim aliter eſſet præſcientia mea, niſi certa præſcirem. A. Non igitur quia Dei præſcientia eſt, neceſſe eſt fieri quæ præſcierit, ſed tantummodò quia præſcientia eſt, Quæ ſi non certa prænoſcit, utique nulla eſt. E. Conſentio, Sed quorſum iſta? A. Quia niſi fallor, non continuò tu peccare cogeres, quem pecaturum eſſe præſcires. Neque ipſa præſcientia tua peccare eum cogeret, quamuis ſine dubio peccaturus eſſet. Non enim aliter id futurum eſſe præſcires. Sicut itaque non ſibi adverſantur hæc duo, ut tu præſcientiâ tuâ noueris, quod alius ſuâ voluntate facturus eſt, ita Deus neminem ad peccatum cogens, prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet juſtus, quæ fieri non cogit præſcius? Sicut enim tu memoriâ tuâ non cogis facta eſſe quæ præterierunt, ſic Deus præſcientiâ ſuâ non cogit facienda quæ futura ſunt. Et ſicut tu quædam quæ feciſti, meminiſti, nec tamen quæ meminiſti, omnia feciſti: ita Deus omnia quorum ipſe author eſt, præſcit, nec tamen omnium quæ præſcit, ipſe author eſt. Quorum autem non eſt author, juſtus eſt ultor.* Conferantur etiam quæ habet libro 5. de civit. Dei cap. 9. & 10. & quæ ſcribit S. Proſper Au-

guſtino in epiſtolâ ad eum ſcripta. Denique prædeterminatione divinâ non enervari libertatem vel ex eo diſce quod S. Thomas opuſculi 1. capite 16. doceat nos accipere dona gratiæ per Chriſti Domini incarnationem ſecundum Dei prædeterminationem: ſi enim non obſtante eâ prædeterminatione filius Dei potuit non incarnari, Chriſtus potuit non pati, & Deus poteſt non dare gratiam, manifeſtè ſequitur prædeterminationem non obſtare libertati; ſed de his adhuc redibit ſermo in ſequentibus: redeamus ad ordinationem Dei.

ARTICULUS XI.

PRædictus Mariana etiam addit Deum non prædefiniviſſe numerum culicum & muſcarum, probatque ex S. Thoma, cujus tamen nullum locum allegat. Sed hoc falſum eſt, nec à B. Thoma traditur. Nam Bellarminus eadem cum Mariana dicens citat quæſtione 23. 1. parte articulo 7. ſed ibi hoc B. Thom. non aſſerit. Verba ejus ſunt. *Licet Deus ſciat numerum omnium individuorum, non tamen numerus vel boum vel culicum vel aliquorum hujuſmodi eſt per ſe præordinatus à Deo.* Ubi nota illud (per ſe) quod ab iſtis auctoribus eſt omiſſum eſſe particulam integritati ſenſus & ſententiæ prorſus neceſſariam. Nam per illud ſimile B. Thomas vult docere

Numerus boū vel culicū nō eſt per ſe præordinatus à Deo.

cere quod ſicut in univerſo quædam ſunt quæ propter ſe providentur in quibus eſſentialiter conſiſtit perfectio univerſi, quæque perpetuitatem habent, ſicut & univerſum eſt perpetuum: Alia verò non providentur propter ſe, ſed propter aliud; qualia ſunt individua corruptibilia quæ perpetuitatem habere non poſſunt niſi in ſpecie, quæque licet præordinata ſunt & proviſa, non tamen ſunt proviſa niſi propter perpetuum eſſe ſpeciei conſervandum, cùm è contra ipſa ſpecies propter ſe ſit proviſa ut per ſe pertinens ad perfectionem univerſi. Ita reproborum numerus ſit quidem à Deo præſcitus & prædefinitus, ſed non per ſe ſeu principaliter ſicut numerus prædeſtinatorum. Prædeſtinati enim à Deo præordinantur principaliter ad bonum univerſi, ſcilicet ad finem ſupernaturalem ſeu ad gloriam Dei quatenus beatitudinem conſequuntur: Reprobi verò ſolum ſecundariò, quatenus ſunt propter electos quibus omnia coöperantur in bonum, & quatenus ratione illorum manifeſtatur miſericordia Dei in electis. Expoſitionem hanc invenies dicto articulo 7. quæſtione 23. & quæſtione 5. de veritate articulo 3. & apud Baneſ. ſuper 1. parte. Quod autem Deus prædefinierit certum numerum omnium rerum quantumvis minimarum probatur 1. quia quotquot ſunt res quantumvis exiguæ Deus eas fecit: ergo

ergo ab æterno decrevit eas facere, operatur enim omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ? Secundo Chriſtus Matth. 6. & 10. Lucæ 12. ita commendat nobis Dei providentiam ut doceat nec volatilia cœli nec hortorum lilia, nec fœnum agri, nec capillos capitis exemptos eſſe à Dei cura & providentia, adeò ut nec unum eorum cadat aut pereat ſine voluntate Patris. Unde S. Proſper libro ſententiarum ex Auguſtino, ſententia 281. ſic ait. *Cum ſaluator dicit unum paſſerem non cadere in terràm ſine voluntate Dei, & quod fœnum agri, quod poſt paululum mittendum eſt in clibanum, ipſe tamen formet, ac veſtiat: nónne confirmat, non ſolùm iſtam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam: verùm etiam viliſſimas ejus, abjectiſſimaſque particulas diuina prouidentia regi: ne fortuitis perturbari motibus, ea quorum cauſas comprehendere non poſſumus, æſtimemus?* Eadem habet ipſe Auguſt. libro 5. de Gen. ad lit. capite 21. Quibus conforme eſt quod habet libro 10. de civit. Dei capite 14. ubi refert ſententiam Plotini Platonici qui providentiam Dei *uſque ad hæc terrena & ima pertingere, floſculorum atque foliorum pulchritudine comprobat: quæ omnia quaſi abjecta & velociſſimè pereuntia decentiſſimos formarum ſuarum numeros habere non poſſe confirmat, niſi inde firmentur ubi forma intelligibilis & incommutabilis ſimul habens omnia* per-

Mat.6. & 10. Luc.12.

Etiam abjectiſſima reguntur Dei prouidētiâ.

perſeuerat. Atque hoc ipſum Auguſtinus ex ſcriptura probat. Matth. 6. Conſiderate lilia agri &c. His conſonat etiam quod habet B. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ ita Antonium orantem introducens. *Deus ſine cujus nutu, nec folium arboris defluit, nec unus paſſer in terram cadit da illis*, &c. Et ad caput 10. Matth. *Si paruula*, inquit, *animalia abſque Deo authore non decidunt & in omnibus ſemper eſt prouidentia*, &c. Vide etiam ad caput 32. Hieremiæ. Ex quibus animadvertere debes quod ea quæ his velut contraria inveniuntur in Hieronymo ſuper caput primum Abacuc, allata ſint ab eo non ex propria ſed ex aliorum ſententia, ut proinde ille ſit unus ex illis locis quos in libro contra Rufinum dicit ſe in commentariis ſuper Prophetas non ex ſua ſed ex aliorum ſententia expoſuiſſe. Prædictis conformiter etiam locutus eſt Magiſter ſententiarum libro 1. diſt. 39. & Alexander Alenſis 1. parte quæſtione 26. med. 4. articulo 4. *Scit*, inquiunt, *Deus quanta ſit multitudo pulicum, culicum & muſcarum, ſed non ſcit hoc per momenta ſingula, imo ſimul & ſemel omnia.* Vide ſuprà, ex libro 3. contra Gent. capite 76. allata quibus adde opuſculo 3. capite 123. 130. 131. 134. &c.

Deus ſcit multitudinẽ culicũ.

ARTI-

ARTICULUS XII.

QUod Bellarminus adjungebat Deum non prævidere futuras actiones liberas niſi in humana voluntate, neque efficaciter probavit, neque verum eſt, ſicut nec illud quod alii dicunt res futuras eſſe cauſas præſcientiæ Dei. Nam certa eſt B. Thomæ doctrina qui 1. p. q. 14. art. 5. dicit quòd Deus *alia à ſe cognoſcit non in ipſis ſed in ſeipſo; in quantum eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo.* Et confirmatur ex Aug. qui q. 46. inter 83. affirmat Deum nihil extra ſe intueri, *non quaſi nihil intueatur quod eſt extra ſe ſed quia id quod eſt extra ſeipſum non intuetur niſi in ſeipſo*: ait B. Thomas ibidem. Quam ſuam doctrinam repetit in illa quæſtione per plures articulos; & art. 13. conformiter aſſerit Deum futura contingentia cognoſcere *non ſolum prout ſunt in ſuis cauſis ſed etiam prout unumquodque eorum eſt actu in ſeipſo* ſcilicet ſecundum eſſe quod objectivè eſt in Deo & non quod actu extra cauſas productum eſt ſed quale ſuo tempore habebit. Si quæras quare B. Thomas non docet futura cognoſci à Deo in prædeterminatione voluntatis, ſi verum eſt quod omnia prædeterminavit. *Reſp.* quæſt. præſupponere falſum. Docet enim D. Thom. Deum futura contingentia cognoſcere non tantum prout ſunt in cauſa, ſed etiam prout emanant à cauſa .i. non ſolum videre effe-

Deus omnia intuetur in ſe.

ctum in cauſa incompleta & indeterminata, ſed etiam in cauſa completa & determinata. *Cognitio Dei*, inquit l. 1. contra Gent. c. 67. *eſt de rebus omnibus per cauſam: ſe enim cognoſcendo qui eſt omniũ cauſa, alia quaſi ſuos effectus cognoſcit.* Et c. 68. *Cum Deus ſit cognitor totius eſſe, cujus eſt principium, cognoſcit unumquemque effectum non ſolum in ſe, ſed etiam in ordine ad quaſlibet ſuas cauſas proximas*: Nam ut dicit c. 69. *cognoſcit ordinem cauſæ ad ſuum effectum.* Et ut 1. p. q. 14. art. 7. loquitur, *effectus ſuos in ſeipſo videt, ſicut in causâ.* His conformia tradit Scotus l. 1. ſent. d. 39. & 41. ubi certam prævifionem futurorum contingentium dicit eſſe ex determinatione voluntatis divinæ quâ omnia producenda in tempore, quæque facere decrevit, definit: Peccata verò quæ non ſunt entia ſed privationes, præſcit, quia novit ab æterno quorum actuum ſubſtantiam ſit ipſe producturus in tempore, & quos eorundem actuum defectus à creata voluntate proceſſuros ſit ipſe permiſſurus. Si dicas hæc non ſubſiſtere, cum futurorum contingentium non ſit determinata veritas. *Reſp.* eſſe, ut patet ex locis B. Thom. citatis ac etiam ex opuſc. 3. c. 133. & quia ſequeretur alioquin quod Deus non haberet futurorum præſcientiam, cum ſcire non poſſit id quod non eſt ſcibile ſeu verum, hoc enim eſt objectum ſcientiæ.

Deus omnia cognoſcit per causã.

Quomodo Deus præſciat peccata.

ARTI-

ARTICULUS XIII.

PRoximum eſt nunc ut oſtendamus res futuras non eſſe cauſas ſcientiæ Dei. Probatur 1. quia cognitio divini intellectûs ita ſe habet ad res alias ſicut ſe habet ſcientia artificis ad artificiata; ſed ars eſt cauſa arte factorum, ergo & ſcientia Dei eſt cauſa rerum. Ita ſentit & ratiocinatur S. Thom. 1. p. q. 14. art.8. lib. 1. contra Gent. cap. 67. & in quæſtionibus diſputatis q. unica de ſcientia Dei art. 5. & 14. Unde & l. 1. contra Gent. cap. 68. *Res à Deo ſcitæ,* inquit, *non ſunt priores ejus ſcientiâ ſicut apud nos eſt, ſed ſunt eâ poſteriores.* Idem ſentit B. Bonau. lib. 1. ſent. d. 39. q. 2. *Scientia*, inquit, *diuina non pendet ex re ſcitâ.* Et Alex. Alenſ. 1. p. q. 24. m. 3. & q. 26. m. 4. art. 4. *Non enim ea quæ creata ſunt, ideo ſciuntur à Deo quia facta ſunt; at verò potius ideò facta ſunt quia immutabiliter ſciuntur à Deo.* Et S. Anſelmus l. de concordia præſcientiæ & prædeſt. cap. 1. *Si Deus à rebus habet ſcientiam, ſequitur quod illæ prius ſint quàm ejus ſcientia, & ſic à Deo non ſint à quo nequeunt eſſe niſi per ejus ſcientiam.* S. etiam Aug. l. 5. de civit. Dei cap. 9. & lib. 11. cap. 10. hanc eandem doctrinam ſatis explicat: l. autem 15. de Trin. c. 13. apertiſſimè dicit quod *uniuerſas creaturas ſuas, & ſpirituales & corporales, non quia ſunt ideo nouit, ſed ideo ſunt quia nouit: Non enim neſciuit quæ fuerat creaturus. Quia ergo ſci-*

Res à Deo ſcitæ non ſũt priores ejus ſcientiâ.

uit,

Nō ideò Deus ſcit futura, quia futura ſunt.

uit, creauit, non quia creauit. Auguſtini quoque magnus imitator Boëtius. *Non placet,* inquit lib. 5: de conſolatione Philoſophiæ, *ratio quâ ſe quidam credunt quæſtionis de præſcientia Dei nodum poſſe diſſoluere: ajunt enim non ideo quid eſſe euenturum, quoniam id prouidentia futurum eſſe proſpexerit, ſed è contrario potius, quoniam quid futurum eſt, id diuinam prouidentiam latêre non poſſit.* Et poſteà: *Quàm præpoſterum eſt ut æternæ præſcientiæ temporalium rerum euentus cauſa dicatur! Quid eſt aliud arbitrari ideò Deum futura, quoniam ſunt euentura, prouidere, quàm putare quæ olim acciderunt, cauſam ſummæ illius eſſe prouidentiæ.* Probatur 2. quia ſi ideo ſciret Deus res eſſe futuras quia futuræ ſunt, quærenti quare futuræ ſunt quid tandem reſpondebitur? Nunquid fides nos docet res ideò eſſe futuras quia Deus vult eſſe futuras qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ? Prius ergo naturâ eſt, Deum velle res eſſe futuras, quàm quod futuræ ſint, ſicut cauſa prior eſt effectu: & conſequenter etiam prius eſt Deum ſcire res eſſe futuras quàm quod futuræ ſint: quod enim eſt prius priori, eſt prius poſteriori, ſed ſcientia Dei eſt prior (juxta modum noſtrum concipiendi) priori ſcilicet voluntate Dei, ergo eſt etiam prior poſteriori .i. quod res ſint futuræ. Si dicas eſſe ab æterno futuras, & ſic ab æterno eſſe cauſam præſcientiæ Dei: contra, præterquam quod ſcientia Dei cum ſit ipſe Deus

Res futuræ nō ſūt cauſa præſcientiæ Dei.

nullam habeat cauſam, res non ſunt ab æterno futuræ in hoc tempore niſi quia primum agens, primum efficiens, & primum movens Deus ab æterno voluit eas in hoc tempore eſſe futuras, volens producere cauſas per quas ipſe tales effectus facere ordinavit. Si enim ab æterno non decreviſſet tales cauſas & per eas tales effectus facere in tempore, nec fierent nec futuri eſſent. Nam ipſe eſt qui effectibus omnibus cauſas adaptat, quibuſdam quidem neceſſarias, aliis autem contingentes ut ita quidam effectus eveniant neceſſariò, alii contingenter, ideóque nullus effectus hîc producitur quantumcunque ſit contingens qui non referatur in Deum ut primam, altiſſimam & efficaciſſimam cauſam. Vide 1. p. q. 19. art. 8. & q. 22. art. 4. *Dices* Origenes in epiſt. ad Rom. & S. Hieron. ad cap. 26. Hier. dicunt quod, Non propterea aliquid erit, quia id ſcit Deus eſſe futurum; ſed quia futurum eſt, ideò ſcitur à Deo, antequàm fiat. *Verum ad hoc arg. reſpondit* olim Mag. ſent. & S. Th. 1. p. q. 14. art. 8. & in quæſt. de ſcientia Dei art. 14. quòd *hoc intelligendum ſit ſecundum cauſam conſequentiæ, non ſecundum cauſam eſſendi. Sequitur enim ſi aliqua ſunt futura, quod Deus ea præſcierit, non tamen res futuræ ſunt cauſa quod Deus ſciat. Sed & aliam* reſponſionem indicat, ut illis verbis ſermo ſit de ſcientia Dei ſpeculativa ut talis eſt non adjuncta voluntate: ſic autem ſcientia Dei non eſt cauſa

Explicatur locus Hier.

cauſa rerum, cùm etiam præſciat peccata, quorum non poteſt eſſe cauſa: Nos autem loquimur de ſciéntia Dei prout habet voluntatem conjunctam, dicimuſque quod illa ſit cauſa rerum non autem cauſetur à rebus. 3. dici poteſt ex Alexand. Alenſ. dicta quæſtione 24. quod illud (ideò) non dicit cauſam, ſed ſolum rationem vel relationem reſpectu ejus quod dicitur (præ) ut futurum ſit ratio quare vocetur præſcientia, ſed non ejus quod eſt præſcientia; ſive ut aliqui reſpondent, quod ſi nomine præſcientiæ ſpectemus ſolam relationem ad res præcognitas rectè dici res futuras eſſe illius cauſas: ſicuti enim ſi nihil eſſet futurum nulla eſſet Dei præſcientia, manente tamen ejus eſſentia, ita nihil vetat quo minus id quod futurum eſt hoc pacto cauſa dicatur præſcientiæ Dei. Neque inde conſequens eſt rem creatam eſſe cauſam rei increatæ, ſcilicet divinæ eſſentiæ, quia relatio quæ in talibus vocabulis includitur ſolum eſt ens rationis, unde nec proprii nominis cauſa ſignificari poteſt in hujuſmodi ſermone.

ARTICULUS XIII.

PRobatio. 13. Si Deus cum cauſis ſecundis ſolum operatur concurrendo in earum effectus, ergo non eas gubenat; gubernator enim & director non attin-

git ſolum effectum, ſed etiam ipſam cauſam moderatur, tangit, dirigit, ducit ac movet prout ſibi videtur. Hinc eſt etiam quod in theſi 42. Duaci propugnata anno 1608. & 1609. ab aſſertoribus illius concurſus gubernatio prætermittitur: *Tres ſunt*, inquiunt, *actiones Deo propriæ, creatio quæ eſt effectio rei ex nihilo : Conſeruatio quæ eſt continua dati prius eſſe collatio, à prima productione eſſentialiter non diſcrepans : & concurſus qui eſt influxus in effectus omnium cauſarum ſecundarum.* De quo cõcurſu dicitur theſi 43. *quod habet ſe per modum actionis ipſum effectum cauſæ 2. non verò cauſam attingentis.* Niſi fortaſſe gubernationem comprehendant ſub una dictarum operationum. Verùm ſicuti lucis productio & conſervatio non eſt gubernatio, ſagittæ quoque factio & conſervatio non eſt in finem directio, ſed longè plus eſt aliquid in opus aut finem dirigere quam ipſum producere vel conſervare ; ſic Dei gubernatio aliquid amplius ſignificat quam nudam productionem vel conſervationem. Si enim res à ſe productas ita conſervaret, ut ſineret eas in incertum vagari, nec in certum aliquem finem dirigeret, daretur creatio & conſervatio ſine gubernatione : & ſimiliter ſi eas ſic relinqueret ut coöperaretur illis in effectum ad quem fortuitò tenderent, daretur concurſus ſine gubernatione. Aliud ergo eſt Deum gubernare, quam creare, conſervare, vel concurrere;

Inter operationes Dei

rere; ac proinde quando enumerantur operationes Deo propriæ, neutiquam prætermittenda eſt gubernatio, præſertim cum plus, aut ſaltem æque differat ab illis, quàm illæ differant inter ſe.

nume-rãda eſt guber-natio.

ARTICULUS XIV.

PRobatio. 14. Scriptura Prov. 21. dicit quòd *ſicut diuiſiones aquarum ita cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* Quomodò habet in manu, & inclinat quo voluerit, ſi illo (tanquam cauſa, relicto, concurrat in ſolum effectum? Hieremiæ 31. Promiſſio novi teſtamenti eſt, *Dabo legem meam in viſceribus eorum & in corde eorum ſcribam eam:* & cap. 18. Sicut lutum in manu figuli, ſic homines dicuntur eſſe in manu Dei. Quomodò hoc ſi Deus non poteſt eos realiter movere niſi labefactando libertatem! Ezech. 36. *Dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtrî, & auferam cor lapideum de carne veſtra & dabo vobis cor carneum: & ſpiritum meum ponam in medio veſtrî, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Facere ut ambulemus nunquid eſt eſſe cauſam cur faciamus ideoq; prius naturâ agere quàm nos agamus? Hinc eſt quod non ſolum in Deo & per Deum vivere dicamur, ſed ut dicitur Act. 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Quomodò autem per Deum & in Deo movemur, niſi quia Deus reali-

Prou. 21.

Hiere. 31. 18.

Ezech. 36.

Facit Deus ut ambulemus in ejus præceptis.

Act. 17.

ter nos attingens nos ipſos movet ad operandum.

ARTICULUS XV.

Phil. 2. PRobatio. 15. Ex ſcriptura & Patribus notum eſt quod Deus operetur in nobis velle; ſed velle eſt actio immanens, ipſa ſcilicet inclinatio potentiæ in objectum quæ ſubſtantialiter manet in voluntate à qua elicitur, ergo Deus non poteſt illum actum operari in voluntate niſi voluntatem realiter attingat; quomodò enim actum in potentia manentem producere poſſit in potentia ſi potentiam non attingat! Et nota quod Apoſtolus non dixerit Deum operari nobiſcum (licet hoc verum ſit) ſed in nobis, quod multò amplius eſt. Unde Conc. Arauſ. capite 9. diſtinctè dixit utrumque. *Quoties bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum ut operemur, operatur.* Non ergo negamus Deum operari nobiſcum, ſed inſuper aſſerimus quod etiam in nobis & per nos operetur; ideoque operatur tanquam agens ſuperius, prius ſcilicet naturâ quàm voluntas.

ARTICULUS XVI.

PRobatio. 16. In opere bono Scripturæ & Patres totum Deo tribuunt, aſſerentes etiam Deum non expectare ut homines velint, ſed facere ut qui prius nole-

olebant, jam velint. Quid enim Deus velit indifferenter ſe habens expectaret, paratus coöperari ſi homo velit, cum & hoc ipſum quod homo velit, non habeat homo niſi Deus operetur in illo, ipſum realiter ac phyſicè attingens? Scripturæ ſunt Joannis 3. *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum deſuper.* Jac. 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepiſti?* Et cap. 12. *Deus operatur omnia in omnibus.* Philipp. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum perficiet, &c.* Et cap. 2. *Operatur in nobis velle & perficere.* Hebræorum 13. *Deus aptet vos in omni bono.* Et his ſcripturis conformiter loquentes SS. Patres, etiam totum Deo tribuunt. Cyprian. in expoſitione orat. Dominicæ. *Præcedit humilis & ſubmiſſa confeſſio & datur totum Deo*: Et lib. 5. teſtim. ad Quiri. cap. 4. In nullo dicit eſſe gloriandum quando noſtrum nihil eſt. Hieron. lib. 4. in Hierem. Totum eſt gratiæ Dei qui cuncta largitus eſt. Chryſ. in Pſalm. 7. David Deo gratias egit hymnos Deo offerens, & totum ſtratagema Deo tribuens. Vide eundem hom. 35. in Gen. hom. 4. & 5. ſuper 2. ad Theſſal. Aug. lib. de bono perſeverantiæ cap. 13. Detur totum Deo. Vide etiam lib. 2. de pec. mer. cap. 18. & 19. De gratia & libero arb. cap. 8. & alibi. Ex his argumentor: In bono opere totum eſt Deo tribuendum, ergo non ſolum tribuendus

Joa. 3. *Jac.* 1. 1. *Cor.* 4. *Ibid.* 12. *Phil.* 1. *Ib. c.* 2. *Heb.* 13.

eſt illi effectus quem operatur cum cauſa ſecunda, ſed & hoc ipſum quod illa operetur, quodque de potentia exeat in actum. Amplius enim eſt facere quod cauſa operetur, quàm tantummodò facere effectum quem illa operatur. Ut docet Petrus de Aliaco. Cardin. Camerac. in 4. q. 1. art. 1. Unde S. Fulg. l. 9. ad Moni. c. 14. Ipſe facit ut faciamus, quo in nobis operante fit omne bonum quod facimus. Et ex Auguſt. deſumptus Conc. Arauſ. Canon. 20. ita habet. *Nulla facit homo bona quæ non præſtet Deus ut faciat homo.* Hinc eſt quod timorati ac humiles non petunt à Deo ut cum iis concurrat, vel cum iis coöperetur opus bonum, ſed ſuppliciter ac humiliter rogant, ut in illis operetur velle & perficere pro bona ſua voluntate, ut eos moveat, præveniat, compellat, impellat, inclinet ad benè agendum: Nam in Litaniis de venerabilli Sacramento Euchar. oramus *ut ad frequentem dignamque eorum myſteriorum participationem nos commouere dignetur.* In ſecreta miſſæ ſabbathi ante Dominicam paſſ. & Dominicæ 4. poſt Pentec. obnixè rogamus ut *noſtras rebelles ad ſe propitius compellat voluntates.* Si verò Deus voluntatem, eamque rebellem compellit, ſi cor inclinat; ſi voluntati præſtat ut faciat, ergo voluntatem tangit, & in cauſam influit, ideoque non concurrit in ſolum effectum. Quomodò enim voluntatem compelleret, ſi in eam non ageret? quomodò

Deus cõpellit rebelles voluntates.

modò cor inclinaret & cõverteret, ſi ſolum cordis effectum attingeret? Prętereà S. Aug. l. de corrept. & grat. c. 14. docet quòd Deus de ipſis hominum voluntatibus, quod vult cum vult, facit: & c. 15. quod magis habeat in poteſtate voluntates hominum quam ipſi ſuas: & Enchir. c. 96. quod non poſſit voluntate cujuſpiam creaturæ impediri effectus voluntatis Dei. Ex quibus optimè infertur, ergo Deus in voluntates influit, eaſque determinat efficaciter: ſi enim habet voluntatem in ſua poteſtate, ergo poteſt in eam influere: & ſi magis habet in ſua poteſtate voluntatem hominis quam ipſemet homo, ergo poteſt illum verè ac realiter determinare. Conſ. prob. quia homo ſic habet ſuam voluntatem in poteſtate ut eam verè determinet & applicet, ſed Deus adhuc magis habet illam voluntatem in ſua poteſtate, ergo ipſe magis poteſt illam determinare. Quod autem quidam aiunt verba Aug. *De ipſis hominum voluntatibus, &c.* à Theologis facilè explicari ſine prædeterminatione, abſque authoritate dicitur; quamvis enim nonnulli recentiores Theologi conentur hoc facere, non faciunt tamen; neque hoc quod à recentioribus nonnullis fieri tentatur, Theologorum quaſi communi ſententiæ tribuendum eſt, cum certum ſit antiquos Theologos non poſuiſſe efficaciam gratiæ in nudis ſuaſionibus vel perſuaſionibus congruis, ut mox patebit. Sed reſpon-

Deus magis habet in poteſtate volũtates hominũ quã ipſi ſuas.

reſpondent, ſi offerens inopi liberalem eleëmoſynam, infallibiliter & efficaciter facit ut eam acceptet ſine ullâ prædeterminatione, quare Deus non poſſit ſimiliter facere? *Reſp.* offerentem egeno eleëmoſynam etiamſi infallibiliter accepturo neutiquam facere efficaciter ut acceptet. Aliud enim eſt offerre quam efficaciter agere ut alius oblationi conſentiat: & alioquin ſi ſimilitudo illa foret congrua, ergo ſicut acceptans talem eleëmoſynam, de acceptione illa gloriari poteſt, quia non accepit illam à divite: (utpote qui non aliud dedit quàm eleëmoſynam quam obtulit) ſic acceptans gratiam poterit gloriari de acceptione, quia non acceperit illam à Deo, qui ſolum hoc egit ut gratiam offerret tali modo & tempore quo ſciebat eum acceptaturum. Hæc autem manifeſte contradicunt Apoſtol. 1. ad Cor. 4. *Quid habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis?*

1. Cor. 4.

ARTICULUS XVII.

Non eſt intelligendum quod Deus moueat aut cōpellat moraliter.

Verum ſunt qui ad allatas authoritates reſpondeant Deum movere, inclinare, & compellere voluntatem moraliter, ut ſicut orator dictione idoneâ ad perſuadendum inclinat animos auditorum, ita Deus inclinare dicatur voluntates hominum inſpirationibus, conſiliis, & ſuaſionibus congruis. Sed contra eſt 1. quia jam ſæpius

ſæpius ex B. Thoma recitavimus Deum movere ac determinare omnem cauſam, etiam illam quæ naturaliter & neceſſariò agit, ergo ipſe non loquitur de motione iſtâ morali. Quomodò enim cauſis naturalibus adhiberet ſuaſiones & conſilia? 2. Ita proprium eſt Deo movere voluntatem efficaciter & compellere,ut nulli alteri conveniat: ſed multis convenire poteſt ita congruè ſuadere ut etiam perſuadeant, ergo hic non eſt ille motionis modus qui Deo attribuitur. Vide Cunerum lib. de gratia Chriſti cap. 7. 3. Deus efficacius nos movet ab bonum quam diabolus ad malum, ſed iſte ſic nos efficaciter inclinat ad malum interius inſtigando perſuaſiones congruas, ut etiam ſæpe perſuadeat ut docet S.Thom. quæſt. 3. de matr. art. 4. ergo Deus aliter nos ad bonum inclinat. 4. Deus ita inclinat ut operetur velle, ergo non movet ſolis ſuaſionibus congruis. 5. Suaſio adhibetur intellectui, ergo dum voluntas dicitur efficaciter moveri & inclinari, hoc non eſt per ſolas ſuaſiones. 6. Multi Sancti ſunt bonæ voluntatis quibus eſt ſatis perſuaſum benè agere,quiq; habent voluntatem & affectum promptum ad benè agendum, ſed illi rectè orant Dominum Deum ut eos ad bonum commoveat, inclinet, applicet ac impellat, ergo motiones illæ quæ Deo tribuuntur & ab eo petuntur, non ſunt ſuaſiones congruæ. Confirmatur, quia Beatiſſ. Virgo

Maria

Maria ſemper erat perſuaſa, ſemper promptiſſima; cæteri Sancti, etiamſi carne adhuc infirmâ & propterea concupiſcente aliquando contra ſpiritum; dicere tamen poterant, *ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*: quando ergo ipſa orabat Dominum Deum, inclina cor meum Deus in teſtimonia tua; quando ipſa & alii orabant ut Deus eorum actiones aſpirando præveniret, illos moveret, faceretque ipſos facere, non ſuaſoriam gratiam petebant quâ non indigebant, ſed eam quâ realiter Deus operatur in cordibus hominum ut velint & quæ volunt perficiant. 7. Deus poteſt efficaciter cōvertere hominem illum quem præſcivit omni tempore, & omni occaſione repugnaturum vocationibus, inſpirationibus, & ſuaſionibus: ſed hoc non erit niſi per phyſicam præmotionem, ſeu prædeterminationem, ergo talis præmotio non deſtruit libertatem, ideoque de illa ſermo eſt quando Deus ab Eccleſia rogatur ut noſtras rebelles compellat voluntates. Major nota eſt in B. Aug. Enchir. cap. 95. & confirmatur quià eſt de fide Deum poſſe ſalvare quoſcunque vult, ergò poteſt ſalvare & convertere etiàm illos quos ipſe cognoſcit omni horâ & omni occaſione futuros rebelles: unde Concilium Arauſicanum canone quarto, docet Deum non expectare noſtram voluntatem ut purgari velimus, ſed potius præparare voluntatem ut velimus

muſ ſcilicet juxtà illud, Paratur voluntas à Domino: atqui ſi Deus ſolùm moraliter movet inſtar oratoris, dicendus erit expectare conſenſum voluntatis, ergò non ſic ſolummodò movet ſed realiter ac phyſicè operatur in voluntate. Minor probatur, quià orator expectare debet conſenſum ejus cui perſuadere conatur. Suarez quidem diſput. 22. in Metaph. ſect. 4. diſertè affirmat Deum eſſe quaſi indifferentem & expectantem ut juxta liberum voluntatis uſum illi cooperetur. Verùm quomodo illi cum Conc. Arauſ. negante Deum eſſe expectantem convenit? Certè ſi in bonis meritoriis ita ſe res habere dicatur, falſum dicitur & concilio contradicitur. Hæc enim propoſitio concilii: *Deus non expectat noſtram voluntatem*, contradicit illi, *Deus eſt indifferens & expectans noſtrum conſenſum.* Deindè ſi concurſus Dei eſt indifferens ad velle & nolle, ad bonum & ad malum, ità ſcilicet ut voluntas illo eodem uti poſſit ad velle & nolle, ergò non eſt Deus qui facit velle, ſed homo; quià cùm Deus reliquerit homini concurſum ſuum indifferentem, ipſe homo illum applicavit ad velle potius quàm ad nolle. Prætereà dicere concurſum Dei in bonis etiam meritoriis eſſe ex ſe velut indifferentem & expectantem conſenſum noſtræ voluntatis quæ poteſt illo uti ad velle & nolle; quid eſt aliud quàm dicere quod *cùm viderit nos Deus ad bonum velle deflectere,*

Pro. 8. juxta 70. interpr.

flectere, occurrit, dirigit, atque confortat? Sed hanc ſententiam à Collatore aſſertam S. Proſper damnavit velut erroneam, ergò damnaret etiam priorem. Minor probatur ex ejus verbis in lib. contra Collat. c. 16. quæ ad prædicta ſubjungit: *Quis non videat, quod hac doctrina meritum libero aſſignet arbitrio, quo præueniatur gratiâ, quæ ei famuletur reddens debitum, non conferens donum? quæ definitio in Epiſcoporum Paleſtinæ ſynodo, etiàm à Pelagio anathemate damnata eſt. In eo enim qui bonum incipit velle, & cupit ab iniquitate atque ab errore diſcedere, gratiam Dei hoc ipſum profitemur operari.* Denique probatur ex eodem S. Proſpero, qui cap. 14. de ingratis ita contra eos loquitur.

Ut nunc & ſæuas gentes & barbara regna
Ignoti prius aut ſpreti noua gratia Chriſti
Attrahit, & terrâ templum ſibi condit in omni:
Sic prius immites populos, urbeſque rebelles
Vincente obſtantes animos pietate, ſubegit:
Non hoc conſilio tantum hortatúque benigno
Suadens atque docẽs, quaſi normam legis haberet
Gratia: ſed mutans intus mentẽ, atq; reformans,
Vaſque nouum ex fracto fingẽs, virtute creandi.

Deus nõ tantum conſilio ſuadens ſed mutãs mentem operatur.

Et capite 20.

Perſpicuum eſt quantum damnatos confoueatis
Dum cuique ad veræ capienda exordia vitæ
Naturam affectum fidei conferre docetis:
Dumq; aliud non eſt vobiſcum gratia, quam lex,
Quamque Propheta monens, & quam doctrina miniſtri.

Rur-

Rurſum in epiſtola ad Rufinum contra Pelag. gratiam agnoſcentes, ſed doloſè intelligentes eam in eo conſiſtere quod voluntatis arbitrium admoneat, ità proſequitur. *Intellectum eſt ſaluberrimeque perſpectum, hoc tantum eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio ſit magiſtra, ſeque per cohortationes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contemplationem, per miracula, perque terrores extrinſecus judicio ejus oſtendat, quo unuſquiſque ſecundum voluntatis ſuæ motum, ſi quæſierit, inueniat: ſi petierit, recipiat: ſi pulſauerit, introeat. Quia ſcilicet gratiæ ipſius vocatio, hoc primum circà nos agat, ut noſtræ facultatis arbitrium admoneat, nec aliud ſit gratia quàm lex, quàm propheta, quàm doctor. cui circa omnes homines per uniuerſum mundum commune & generale ſit ſtudium, ut qui voluerint credant, & qui crediderint, juſtificationem merito fidei & bonæ voluntatis accipiant: ac ſi gratia Dei ſecundum hominum meritum tribuatur. Atque hoc modo gratia non ſit gratia.* Quomodo potuiſſet apertius negare efficaciam gratiæ conſiſtere in ſuaſionibus? Clarè affirmat Deum non ſolum admonere liberum arb. ſive interius ſive exterius, nec ſolum benignè ſuadere, ſed potenti ſua virtute mutare mentem interius, reformare, recreare & affectum (ut poſteà loquitur) credendi, obediendique generare. Sed inquies Deus operatur, quidem realiter, ſed non prævenit; prævenire enim libertatem de-

Gratia nõ tantum admonet arbitrium.

determinando eſt impedire libertatem. Reſp. Deum prævenire, nec libertatem impedire: ipſe enim ſic in omni opere bono prævenit voluntatem ut faciat eam operari, operaturque ipſe non ſolum cum ea, ſed etiam in ea & per eam juxta illud Auguſtini: *In omnibus miſericordia Dei prævenit nos*: & iſtud Eccleſiæ. *Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præveni & adjuuando proſequere, ut cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat & per te cœpta finiatur*; & illud Conc. Arauſic. *Quoties bona agimus*, &c. Huc etiam pertinet illa Synodi Trid. ſententia ſeſſ. 6. c. 16. ubi de Chriſto loquens dicit quod *tanquàm vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur.*

Oratio Eccleſiæ.

ARTICULUS XVIII.

SEd quià nō poteſt inter Catholicos verti in dubium an Deus per ſuam gratiam nos præveniat, ideò jam reſtat examimandum, An gratia præveniens neceſſitet voluntatem ſic ut non ſinat eam liberè agere. Sunt enim qui hanc ſententiam docuerunt. Motus gratiæ prævenientis à Deo in nobis excitati, ut ſunt illuſtrationes intellectus, piæ voluntatis affectiones, ſunt nobis actus neceſſarii & non liberi, donec iis conſentiamus: qui conſequenter dicere videntur Deum poſſe quidem prævenire vo-

luntatem, ſed non niſi ſic ut præveniendo neceſſitet: & dum proponitur hoc argumentum: Quidam ex iis qui cauſas 2. efficaciter à Deo determinari negant, admittunt in Paulo, Magdalena, aliiſque nonnullis dum converterentur fuiſſe illam determinationem, ergò vel illa determinatio libertatem non tollit, vel iſtis fuit ſublata pro eo inſtanti quo convertebantur, non habent aliam reſponſionem quàm ut dicant fuiſſe illis ſublatum pro eo inſtanti libertatis uſum. Nec enim poſſunt negare antecedens, nam in aſſertione decima de gratia & prædeſtinatione inter eas ſuper quibus fuit olim petita cenſura S.Facultatis Theol. Duacenſis ab illuſtriſſimis & Reverendiſſimis Dominis, D. Ludovico de Berlaymont Archiepiſcopo Camera. & D. Joanne Hauchino Archiepiſcopo Mechl. & D. Guilielmo Lindano Epiſcopo Gand. ita legitur: Ut faciamus, non requiritur efficax excitatio quæ voluntatem infallibiliter determinet, qualis fortè fuit in Paulo, Magdalena, aliiſque nonnullis dum converterentur. His ut ſatisfiat dicimus primò non benè à Catholicis dici poſſe quod in Paulo, Magdalena, aliiſque ſimiliter converſis ſublatus fuerit libertatis uſus pro primo inſtanti ſuæ converſionis, eo quod nemo ad Deum convertitur niſi Deo per ipſum operante actum bonæ voluntatis. Undè & S. Proſper lib. contra Collat. cap. 15. eum re-

Nō fuit S. Paulo ſublata libertas in ſua conuerſione.

reprehendens quod in quibuſdam diceret initium converſionis eſſe ſic à gratia ut non coöperetur liberum arb. in aliis autem ſic eſſe à libero arb. ut non à gratia, dicit quod Collator dum iſtorum duorum unum in Paulo & Matthæo, aliud in Zachæo & latrone judicat operatum, non intelligit in illis ſe liberum arb. in iſtis gratiam ſuſtuliſſe. Ubi vides quod pro abſurdo habeat, dicere Paulum in ſui converſione non eſſe uſum libero arb. Sed hoc ipſum magis confirmabitur ex ſequentibus. Dico ergo 2. Certum eſt gratiam prævenientem non neceſſitare voluntatem. Probatur 1. quia Deus adultos non juſtificat ſine illis aliquid operantibus, juxta illud vulgatum: *Qui creauit te ſine te, non juſtificabit te ſine te.* 2. quia quiſque propriæ mentis converſione ſalvatur credendo, neque inviti ſed volentes ſalvandi ſunt ut dicitur in Conc. Toletano 4. cap. 56. 3. quia Auguſtinus dicit Ench. cap. 32. gratiam Dei nolentem prævenire ut velit, liberè ſcilicet. 4. Quia Syn. Trid. ſſ. 6. cap. 5. loquens de initio juſtificationis quod eſt à gratia præveniente ſeu excitante, ſic loquitur. *Declarat præterea, ipſius juſtificationis exordium in adultis, à Dei per Chriſtum Jeſum præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis, vocantur; ut, qui, per peccata à Deo auerſi erant, per ejus excitantem, atque adjuuantem gratiam ad conuertendum*

Gratia præueniens nõ neceſſitat.

Præuẽti à gratia, liberè aſſentiuntur.

dum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo, & coöperando, diſponantur; &c. Et cap. 6. *Diſponuntur* (ait) *ad ipſam juſtitiam, dum excitati diuinâ gratiâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum &c.* Similia habet cano. 3. & 4. ubi docet hominem liberè agere quantumvis à Deo præveniatur. 5. Probatur ex B. Tho. in 2. d. 26. q. 1. art. 5. ad 3. qui loquens de gratia operante ſeu præveniente: *Ipſe*, inquit, *motus voluntatis non eſt à gratia ſine libero arb.* utique liberè agente. & l. 3. contrà Gent. cap. 149. *Romanorum 9. non eſt volentis, ſcilicet velle: nec currentis, ſcilicet currere: ſed miſerentis Dei: quia ſcilicet oportet quod ad benè volendum & operandum homo diuino præueniatur auxilio: ſicut conſuetum eſt quod effectus aliquis non attribuitur proximo operanti, ſed primo mouenti: attribuitur enim victoria Duci quæ labore militum perpetratur: non ergò per hujuſmodi verba excluditur liberum voluntatis arbitrium: ſicut quidam malè intellexerunt: quaſi homo non ſit Dominus ſuorum actuum interiorum & exteriorum; ſed oſtenditur Deo eſſe ſubjectum, &c.* Sextò. Confirmatur, quia actus interior quem in nobis producit gratia præveniens v. g. amare Deum, odiſſe peccatum, eſt actus voluntatis non ſolum ut ſubjecti, ſed etiam ut principii effectivi, ergo reſpectu ejus voluntas eſt movens & non tantum mota. 7. quia actus quo voluntas incipit velle bonum Rom. 9.

 eſt

eſt actus liber, ergò reſpectu ejus voluntas eſt principium movens non qualecunque ſed liberum. 8. quia actus ejuſmodi cadunt ſub præcepto : nam præcipitur homini ut ſe convertat ad Deum & à peccato recedat; ergò procedunt à voluntate ſeipſam liberè movente. 9. Probatur ex S. Bonau. in 2. diſt. 26. ſic dicente : *Deus per gratiam mouet voluntatem, nec tamen hoc voluntati repugnat, quia voluntas ſic vult moueri à Deo: unde ſic mouetur à Deo quod mouetur etiam à ſeipſa, & ideò omne opus meritorum attribuitur gratiæ & libero arb.* Quò etiam pertinet illud Ambroſii lib. 2. de vocatione Gent. cap. 9. *Siue initia, ſiue profectus fidelium, ſiue uſque in finem perſeuerantium cogitemus genus, nulla ſpecies cujuſque virtutis occurrit quæ vel ſine dono diuinæ gratiæ, vel ſine conſenſu noſtræ voluntatis habeatur.* Eadem reperies apud S. Proſperum verum iſtius libri auctorem cap. 26. & apud Coſterum in lib. controverſiarum cap. 5. de libero arb. ubi expreſſis verbis aſſerit liberum arbitrium Deo mouenti & prævenienti coöperari, nec ſe præparare ad juſtificationem *ſolum patiendo, ſed etiam operando & agendo.* Nec obſtat quod Aug. dicat Deum ut velimus in nobis ſine nobis operari; quodque B. Thom. 1. 2. q. 111. art. 2. doceat in primo actu voluntatis qui procedit à gratia præveniente voluntatem eſſe motam & non moventem. Nam ejuſmodi locutiones non aliud ſignificant quam

quam quod Deus primum actum ſeu motum bonæ voluntatis per ſuam gratiam operetur ſine nobis.i. ſine prævio in nobis alio motu voluntatis quo ad illum motum conemur aut aſpiremus, aut quo voluntas eum ſibi imperet; quippè cùm interdum homini etiam valde repugnanti inſpiretur bonæ voluntatis affectus, ut in Paulo contigit; ergò apud Aug. illud (ſine nobis) non eſt idem quod nobis nihil agentibus, ſed idem eſt quod, nobis non præviè agentibus; Quod autem B. Th. dixit in primo effectu gratiæ mentem noſtram eſſe motam à Deo & non moventem, ſic intellige, mentem noſtram ad illum effectum non ſe movere alio quopiam priore motu quaſi imperante hunc motum, ut ſignificaverit actum illum interiorem non eſſe à voluntate movente ut imperante, licet ab eâ ſit ut principio activo. Qui ſenſus ex eo colligitur, quod poſteà dicit exteriorem actum à voluntate imperari: quin & ipſa phraſis quâ voluntas dicitur ſe movere ad aliquem actum, ſatis poſtulare videtur ut in eâ ſit motus aliquis ad hujuſmodi actum: & conſentiunt ea quæ adfert lib. 2. ſent. d.26. art. 5. ad 3. alibi recitata: & q. unica de virtutibus in communi art.1.ad 11. & art. 2.ad 20. ubi expreſsè docet Deum operari in nobis non ſine nobis agentibus & conſentientibus. Denique hoc ipſum approbat Card. Bellarminus lib. 6. de gratia & libero arb.

 cap.

cap.6. ubi diſertè docet per gratiam prævenientem ita voluntatem hominis præparari ut & Deus & voluntas aliquid agant. Et quià ſunt quædam loca Chryſ. quibus ait Deum non prevenire noſtras voluntates,ut hom.12.in epiſtolam ad Hebreos,idem Bellarminus ea ſic exponit, ut Chryſoſtomus dixiſſe intelligatur quod Deus nō prævenit per modum neceſſitatem inferentis. Quæ expoſitio libentius admittenda eſt,quàm dicatur cum Molina diſput. 41. quod Chryſ. errare potuerit neſciens diſtinguere inter gratiam prævenientem,&c.aut quod manifeſtum ſit ibi errorem contineri, aut quod gratiam prævenientem tollat, dicatque initium ſalutis eſſe à nobis. Hæc enim & falſa ſunt & tanto doctore indigna, præterquàm quod viam parant hæreticis ut SS. Patrum authoritates contemnant, dicantque quod errare potuerint. Falſa autem eſſe manifeſtum erit ſi alia ejuſdem Chryſ. loca conferantur.Nam homilia 13. in Joannem docet quod *gratia Dei ſemper in beneficiis priores ſibi partes vendicat*:homilia autem 76.*Non vos me elegiſtis*,inquit,*ſed ego elegi vos*; *hoc eſt in amore præcurri*. Quando autem Chryſoſtomus ſive hîc ſive homil.11. requirit voluntatem noſtram ut bene agamus; non negat gratiam prævenientem,ſed ſolum oſtendere intendit quod liberum nobis maneat arbitrium, quodque Deus non ità bona noſtra operetur ut voluntas noſtra nihil agat, ut patet ex

S.Chryſoſt. explicatur.

Quid Chryſoſ. ſenſerit de initio ſalutis.

ex dictis, & ex iis quæ habet ad caput 2. Epiſtolæ ad Philipp. explicans illa verba, Deus operatur in nobis velle, &c. *Si* (inquit ex aliorum perſonâ ſibi objiciens) *voluntatem in nobis ipſe operatur, quomodò nos adhortaris? Etenim ſi ut velimus ipſe facit, fruſtra nobis dicis, obedite: non enim obedimus. Fruſtra dicis in timore ac tremore: nam totum Dei eſt.* (Nota ſimile fieri argumentum contra præmotionem Dei, ideoque & contra gratiam prævenientem, ſed pro hoc loco reſpondeat Chryſoſt.) *non ad hoc dixi Deum eſſe operantem in vobis* (ideoque influentem in cauſam eamque moventem) *& ut velitis & ut operemini* (ut ſcilicet otioſi eſſe velitis) *ſed ut ſollicitudinem veſtram relevarem. Si volueritis tunc operabitur voluntatem: & promptitudinem ipſe nobis dat & operandi efficaciam. Quando enim* (per ejus gratiam) *voluerimus, voluntatem poſteà adauget: utpote volo boni quidpiam operari, bonum iſtud ipſe operatur, & per ipſam etiam voluntatem*, &c. Et poſteà: *Oſtendit hic & ſecuros nos eſſe facit, Deum omnia operari. Vult enim nos juxtà voluntatem ſuam vivere. Si verò vult, agit ergò nos ad hoc, imò ipſe iſtud omnino operabitur.* Vides quomodò S. Doctor non dicit initium ſalutis eſſe à nobis, ſed totum Deo tribuit, nec negat gratiam prævenientem, ſed aſſerit? videatur etiam homilia 12. in 1. epiſtolam ad Cor. Quæ autem homilia 12. in epiſtolam ad Heb. dicta, videntur his eſſe contraria, modeſtè per collatio-

nem aliorum locorum ſunt exponenda, non erroris damnanda; & quod dicit, oportet nos eligere primùm quæ bona ſunt, & tunc ipſe quæ ſua ſunt introducit, intelligi poteſt, vel quod nos ejus gratia præventi eligere debeamus bona agere antequàm ipſe dona ſua habitualia ſeu permanentia & ulteriora introducat; vel quod nos eligamus, quia licet Deus in homine & per hominem operetur electionem, ſolus tamen homo eſt qui eligit ſicut ſolum animal currit etiamſi Deus curſum efficiat: Dum autem ita elegimus, tunc multam adfert auxiliationem & dona ſua introducit, quia ut ipſe alibi dicit voluntatem adauget, & ut Auguſtinus docet, ille qui *præuenit ut velimus, ſubſequitur nè fruſtra velimus*: & juxtà B. Jacobum: *Appropinquantibus ſibi appropinquat*, ſcilicet per ampliorem gratiam.

ARTICULUS XIX.

RAtio. 17. Quando cauſæ operantur hoc ipſum accipiunt à Deo: ergo Deus prius naturâ facit illam operationem. Prius enim eſt dare quàm accipere, præſertim quandò ſic datur, ut datio ſit cauſa acceptionis. Antecedens eſt Alberti magni qui lib. 1. ſent. d. 45. art. 8. ſic dicit. *Si quid operantur aliæ cauſæ, accipiunt à voluntate Dei operante, & continente, & mouente eas.* Confirmatur ex Pariſienſibus doctoribus qui an-

no 1270. tanquàm erroneum condemnaverunt hunc articulum. *In cauſis efficientibus cauſa ſecunda habet actionem quam non accepit à prima cauſa.* Fatentur ergo Albertus & Pariſi. Deum ita per cauſas ſecundas operari ut non ſolum eas conſervet ſeu contineat, ſed etiam ut illas moveat, illiſque det actionem quam operantur, ideoque in ipſas influit & non in ſolum effectum. Dum vero illo eodem anno condemnaverunt etiam hunc articulum: *Id quod de ſui natura non eſt determinatum ad eſſe vel non eſſe, non determinatur niſi ad aliquod quod eſt neceſſarium reſpectu ſui,* clarè aſſerunt voluntatem quæ ex ſe eſt indeterminata non ſolum poſſe determinari ſed etiam ſic poſſe determinari ut liberè & non neceſſariò eligat id ad quod determinatur, dicunt enim poſſe determinari ad aliquod quod non eſt neceſſarium.

Cauſa 2. accipit actionem à Deo.

Quod nō eſt determinatū, ut voluntas, determinatur ad aliquid.

ARTICULUS XX.

Confirmatur ulterius ex eo quod S. Auguſtinus Epiſtola 106. & S. Bonaventura in 2. diſput. 26. quæſtione 6. voluntatem vocant pediſſequam, gratiam verò ducem. Si enim voluntas ad gratiam ſe habet ut pediſſequa, quomodò non operatur ut inferior, ut ſubjecta, ut mota ut directa, ut ducta? Unde S. Proſper capite 25, de ingratis ſic gratiam ducem appellavit.

Voluntas eſt pediſſequa gratiæ.

Hæc

Hæc ut cujuſquam ſtudio affectuque petatur,
Ipſa agit; & cunctis dux eſt venientibus ad ſe:
Perque ipſam niſi curratur, non itur ad ipſam.

Deus cõparatur ad volũtatẽ ſicut ſeſſor ad equum.

Præterea Franco Abbas tomo 2. Deum vocat manſuetiſſimum ſeſſorem ſub cujus regimine homo juſtificatus conſtituitur: & Adrianus ſextus quodlib. 8. littera K. *habet*, inquit, *ſe gratia in opere meritorio ſicut ſeſſor ad equum.* Hanc ſimilitudinem partim ex ſcripturâ, partim ex Hieronym. pulchrè explicat Driedo tract. 6. capite 2. de capt. addens quod ſicut jumentum immiſſo fræno ſeſſoris manu regitur ut iter rectum ſecundum ſeſſoris voluntatem poſſit incedere, ita & liberum arbit. Spiritûs ſancti apprehenſum fræno gratiâ illius manſueſcit, ab eo dirigitur & deducitur. Non ergo Deus & voluntas in opere bono comparandi ſunt (ut à quibuſdam etiam concionantibus fit) duobus equis ſimul currum trahentibus quorum validior aurigam ferens ſit gratia, alter voluntas, ſed voluntas ſemper eſt comparanda pediſſequæ, famulo & equo per aurigam directo: gratia verò duci & ſeſſori qui voluntatem moderatur, regit, ducit, gubernat ac movet pro beneplacito voluntatis Dei.

ARTI-

ARTICULUS XXI.

PRobatio 18. fit ex variorum doctorum authoritatibus. S. Ambroſius præfat. in Evangelium Lucæ aſſerit Chriſtum qui in ſe loquebatur, operari ut, id quod bonum eſt, nobis quoque bonum videri poſſit. S. Gregorius lib. 22. moralium capite 5. lib. 24. moral. cap. 12. & lib. 33. cap. 26. Chryſoſt. præterea quæ ſup. attulimus homilia 2. in Gen. ſic dicit. *Qui hæc cum non eſſent, fecit; hic & linguam meam ad iſthæc enarranda impulit.* S. Auguſtinus lib. 5. de Geneſi ad litteram cap. 20. de Deo dicit quòd *mouet occultâ potentiâ uniuerſam creaturam ſuam*: & lib. 3. de Trinit. cap. 4. aſſerit Deum *uti omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ ſiue incorporeis ſiue corporeis rebus*; Et infrà: *voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum atque motionum.* Si omnibus utitur & omnes cauſas movet, ergo non concurrit in ſolum effectum, ſed ipſam cauſam applicat: uti enim eſt applicare juxta ea quæ dicit S. Thom. 1. 2. quæſt. 16. Rurſum lib. de dono perſeverantiæ cap. 9. *Poſſibile eſt*, inquit, *auerſas & aduerſas in fidem ſuam hominum conuertere voluntates, & in eorum cordibus operari ut nullis aduerſitatibus cedant, nec ab ipſo aliquâ tentatione ſuperati diſcedant.* Eſtne hoc moraliter agere & expectare voluntatis conſenſum? Si expectaret, nec in cauſam realiter ageret,

Deus operatur in cordibus, ideoq; non in ſolo effectu.

Digitized by Google

ret, quomodò operaretur in corde; quomodò à malo in bonum flecteret voluntates & in lapſum pronas converteret, ut dicit capite 9. ? quomodò ex invito faceret volentem ut loquitur Proſper cap. 3. contra Collat. ? quomodò rebelles voluntates compelleret, ut ait Eccleſia; quomodò malas hominum voluntates quas vult, ubi vult, quia vult, converteret, ut aſſerit Auguſtinus lib. de corrept. & gratia cap. 14. ? quomodò in nolentibus credere operaretur velle, Auguſt. Epiſtola 107. & de prædeſtinatione Sanctorum cap. 8.. quomodò invito & reluctanti homini Deus etiam primam boni cupiditatem inſpiraret, quod docet Aug. lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 8. quomodò Deus tanget cor ut cum ejus adjutorio homo præparet cor ut idem aſſerit cap. 9. quomodò verum eſſet nulla eſſe tam deteſtanda facinora quæ poſſint gratiæ donum arcêre, Proſper lib. 1. de vocatione Gent. cap. 17 quomodò gratia eſt tam efficax ut à nullo duro corde reſpuatur quin potius auferat cordis duritiam ut dicit Auguſt. lib. de prædeſt. SS. cap. 8. quomodò Spiritus S. clamare & poſtulare dicitur quia (exponente Auguſt. lib. de corrept. & gratia cap. 15.) nos clamantes & poſtulantes facit, ſi ſolum ſuadet & paratis ad clamandum coëfficit clamorem & poſtulationem ? quomodò Proſper dicit lib. 1. de vocatione Gent. cap. 9. de iis quæ promiſit

Deus operatur velle in nolentibus.

Deus,

Deus,quod impoſſibile eſt iſta non fieri, eo quod nec incerta ſit Dei præſcientia, nec mutabile conſilium,nec inefficax voluntas, nec falſa promiſſio. Agit ergo Deus non in ſolum effectum ſed in ipſum hominem qui cauſa eſt. Agit inquam non ſolum ut ab eo regatur homo ſed etiam ut illo agatur: cum enim plus ſit agi quam regi eo quod qui regitur aliquid agit, & ideò regitur ut rectè agat: qui autem agitur, agere ipſe aliquid vix intelligitur:tamen tantum(inquit idem Proſper ſententia 310. in l. ſententiarum) præſtat voluntatibus noſtris gratia Salvatoris ut non dubitet Apoſt. dicere: *Quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt. Dices* ſi homo ſic agitur ſpiritu Dei quomodò eſt liber? *Audi eum* l. de vocat. Gent.c.8. reſpondentem: *Nec quia ſpiritu Dei agitur, ideò ſe putet liberum arbitrium non habere: quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate ſe dedit, à quo judicium voluntatis deprauatum eſt non ablatum. Quod ergo non interfectum eſt per vulnerantem, non tollitur per medentem: vulnus ſanatur, non natura remouetur. Sed quod in natura periit, non reſtituitur niſi ab auctore naturæ.* Unde lib. contra Collat. cap. 12. ſic loquitur: *Non eſt periculum liberi arbitrii ex gratia Dei, nec voluntas aufertur cum in ipſa bene velle generatur.* Lib. 1. de vocat. Gent. cap. 8. aſſerit eum qui quærit, ipſum quærendi affectum ab illo accepiſſe quem quærit. Et mox: *Omnis homo qui ad Deum conuertitur, Dei primum*

Rom. 8.

gratiâ

gratiâ commouetur. Et iterum. *Cum verbum Dei per miniſterium prædicantium auribus carnis infertur, miſcetur operatio potentiæ diuinæ cum ſono vocis humanæ: & qui incitauit euangelizantis officium, audientis quoque firmauit affectum.* Quomodò hæc conſiſtunt ſi Deus hominem realiter non movet? Et ne putes aliquid iſtorum fieri per ſimultaneum concurſum, aut per ſolas ſuaſiones, l. 2. c. 26. poſtquàm dixit gratiam Dei omnibus præeminere ſuadendo, &c. addit: *Sed & voluntas hominis ſubjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis ut diuino in ſe coöperetur operi & incipiat exercere ad meritum quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium.* Ubi voluntatem quidem Deo coöperari dicit, ſed ita ut illi ſubjungatur, ideoque voluntas ad gratiam ſe habet ut receptrix & famula, quemadmodùm loquitur, non autem ut agens collaterale: & dum c. 27. dicit quod juſti velint ea quæ Deus voluit eos velle, & quod *qui in cordibus trahendorum hoc egit ut crederent, hoc effecit ut vellent*: quid aliud clamat quàm Deum realiter operari in cordibus hominum? His conformiter S. Bern. tract. de gratia de Deo dicit, quòd *uniuerſa potentiſſimè mouet, ordinat, adminiſtrat*: Item quod omnia *potenti præordinet prouidentia*; quòd *voluntatem applicet operi.* Hoc autem nihil eſt aliud quam efficaciter movere & determinare ergo Deus determinat.

ARTI-

ARTICULUS XXII.

PRobatio. 19. Alexander Alenſis ita cenſet Deum per creaturas operari ut in eas influat: prima enim parte quæſtione 9. m. 2. & quæſtione 26. m. 7. articulo 2. docet quod cauſa prima plus influat quam ſecunda, quia ſecunda non influit ſine prima, imo habet à prima quod influat. Nec reſponderi poteſt quod plus influat quia independenter operatur & dedit cauſæ ſecundæ virtutem operativam: 1. quia nonnulli eorum qui docent concurſum ſimultaneum, ut Molina diſput. 28. ſuæ concordiæ & Suarez diſput. 22. ſect. 4. numero 9. Conimbr. libro 2. Phyſ. quæſtione 12. articulo 3. docent Deum ita partialiter concurrere ad effectum cum cauſa ſecunda, ut quemadmodùm concurſus cauſæ ſecundæ ſolus non ſufficit ad effectum, ita nec concurſus Dei quo præſentialiter concurrit ad eundem ſolus abſolutè ſufficiat, ergo ex mente iſtorum Deus non plus actu influit quàm cauſa ſecunda: uterque enim partialiter, concurſu de ſe inſufficienti operatur, & conſequenter præſens Dei concurſus cum cauſa ſecunda æquè pendet à cauſa ſecunda quàm concurſus ſecundæ à prima, quia neuter talis qualem illi ponunt ſine altero ſufficit. 2. quia Alexand. diſertè fatetur Deum influere in liberum arbitrium quando illud exit in actum:

ctum : nam 2. libro quæſtione 100. m. 3. articulo 6. §. 3. in fundamento ſuæ concluſionis quæ eſt ejuſmodi : *Mala actio ſecundùm quod actio eſt à Deo*, dicit. *Si aliquid egreditur à noſtro libero arbitrio, hoc eſt ſecundum quod recipit influentiam à Deo.* Et 1. parte quæſtione 4. m. 1. docet cauſam non exire de potentia in actum ſine aliqua ſui mutatione : unde ſubjungit quod illa propoſitio, exitus ab ocio in actum eſt alteratio quædam univerſaliter tenet in illis quæ agunt paſſibilia entia. Nec putare quis debet Alex. aliud docuiſſe quæſtione 26. 1. parte m. 4. articulo 3. vel quæſtione 40. m. etiam 4. Ibi enim nequaquam negat Deum prædeterminare actus liberos, ſed ſolum negat prædeterminare ſic ut neceſſitatem imponat : unde quando dicit : *Non prædeterminat quia non compellit virtutem* id eſt *non cogit* : non dat rationem quare Deus non prædeterminet, ſed explicat quo ſenſu dici poſſit quod non prædeterminet, ut confirmari poteſt ex deductione argumenti quod ibi adfertur & ſoluitur. Summa argumenti eſt hæc : Omnia quæ ſunt providentiæ Deus prædeterminat (quia ſuum providere eſt prædeterminare,) ſed ea quæ ſunt in nobis (id eſt actus liberos) Deus non prædeterminat. Ergò ea quæ ſunt in nobis non ſunt providentiæ. Ad minorem quæ ex Damaſceno petitur ita reſpondet. *Ad authoritatem Damaſceni dicendum*

Liberũ arb. recipit influentiã à Deo.

dum quod ipſemet ſoluit dicens : non prædeterminata ea quæ ſunt in nobis quia non compellit ipſam virtutem id eſt non cogit liberum arb. ad faciendum hoc vel illud. Ubi ſi Alexand. rationem reddit cur Deus reverà non prædeterminet ea quæ ſunt in nobis, argumentum non ſolvit ſed roborat, quia rationem dat cur minor propoſitio ſit admittenda; & ad conſequentiam quæ bona eſt, aut ad majorem propoſitionem nihil reſpondet: & tamen ſi ſenſiſſet verum eſſe quòd Deus non prædeterminat, conceſsâ minori ex Damaſceno deſumptâ negare debuiſſet hanc propoſitionem: *Omnia quæ ſunt prouidentiæ, Deus prædeterminat*: Jam verò hac conceſsâ (ac proinde verâ) non reſpondet niſi ad verba Damaſc. Igitur vera reſponſio Alexandri ad argumentum propoſitum eſt ea quam dedimus, ſcilicet Deum non prædeterminare ſic ut neceſſitet id eſt prædeterminare quidem. ſed non ſic ut neceſſitatem imponat. Simile quaſi argumentum ſibi objicit B. Thomas 1. p. quæſt. 23. art. 1. de quo diximus parte 1. art. 3. *Si objicias* Alexandrum dicere quòd eorum quæ ſubſunt libero arbit. ſit providentia ſecundùm conceſſionem, ergo Deus ea non prædeterminat. *Negabitur conſeq.* nam providentiam ſecundùm conceſſionem non opponit ei quâ Deus prædefinit vel prædeterminat quid vel quomodò ſit eventurum; ſed illi quâ prædefinit neceſſitatem imponendo:

Quomodò Deus prædeterminet.

unde dicit quòd *prouidentia ſecundum conceſſionem eſt de his ubi contingit eſſe reſiſtentiam & contradictionem* : *& ſic eſt in libero arb. Deus enim dedit libero arb. ut conſentiat vel non conſentiat bono*. Prædeterminatio autem quam aſſerimus tantum abeſt ut neceſſitatem inferat, quin potius libertatem ſtatuat. Huic reſponſioni conformiter reſpondet ad eandem Damaſc. authoritatem m. 7. artic. 2. ſic inquiens : *Dicit Damaſcenus, præcognoſcit quæ in nobis ſunt ſed non prædeterminat : non enim compellit virtutem id eſt non prouidet cum coactione faciendi. Si denuò objicias*, Alexand. dicit quæſtione 23. m. 3. articulo quarto, quod cauſa ſuperior non eſt determinata cauſa effectus contingentis, ergo eum non prædeterminat R. N. C. cauſa enim determinata eo loco non eſt idem quod cauſa prædeterminans quomodocunque, ſed eſt idem quod cauſa determinans neceſſitando, ideoque addit quod non ſit cauſa determinata nec cogens. Juxta hunc ſenſum etiam B. Thomas in 2. diſp. 4. quæſtione 1. articulo 2. dixit quod liberum arbitrium non eſt cauſa determinata ad unum, quia ſcilicet non eſt naturaliter determinatum, ideoque nec agens neceſſarium ſed liberum.

AR-

ARTICULUS XXIII.

Similiter Scotum non aſſeruiſſe ſimultaneum Dei in ſolos effectus concurſum, ſed cauſæ præmotionem, probatur 1. ex Azorio id aſſerente lib. 1. inſtitutionum mor. Sed & author libelli Duaci nuper hac de re editi, ut nobis B. Thomam præripiat, dicit ſi quem habemus patronum, *quod Scoto potius adhæremus cui prædeterminationes ex extrinſeca efficaci Dei voluntate à nonnullis ejus diſcipulis, & aliis tribuuntur.* Molina quoque diſput. 34. fatetur Scoti ſententiam niti hoc fundamento, quod concurſus Dei generalis ſit influxus in ipſaſmet cauſas; quo à Deo moveantur & applicentur ad producendum ſuos effectus. Et de eodem loquens Suarez diſput. 22. metaph. ſect. 4. cenſet Scotum videri ſentire quod prima cauſa determinet ſecundam quoad exercitium etiamſi libera ſit, quodque Deus definiat concurſum ſuum ad unam tantum rem. Probatur 2. l. 1. ſent. d. 39. §. viſo de contingentia rerum dicit quod *voluntas* (diuina) *facit rem determinatè eſſe veram:* & poſtea: *Patet* (ait) *quod eſt determinatio intellectus diuini ad illud exiſtens ad quod determinatur voluntas diuina & certitudo infallibilitatis.* & d. 41. §. ſed contra, *Deus* (inquit) *non præuidet iſtum benè uſurum libero arb. niſi quia vult vel præordinat iſtum benè uſurum eo; quia ſicut dictum eſt d. 39. certa præuiſio futurorum contingentium eſt ex*

Præuiſio futura eſt ex determinatione voluntatis diuinæ.

 de-

determinatione voluntatis diuinæ: determinat ergo voluntas divina primum ab æterno quid factura ſit, ac deinde hoc ipſum facit in tempore. 3. Probatur ex diſt. 8. ubi ſic loquitur: *Nulla cauſa ſecunda cauſat, niſi primâ causâ concauſante cauſatum ejus, & hoc prius naturaliter quàm ipſa cauſa proxima cauſat. Dices*, illud prius naturaliter, non denotat prioritatem cauſalitatis, ſed perfectionis ac independentiæ; ergo hinc non habetur Scotum ſentire quòd Deus operetur prius naturâ ſeu cauſalitate. Antecedens prob. ex 2. ſent. diſt. 37. §. ad ſolutionem, ubi diſertè ait, ſicut non prius naturâ mat[illegible]ia materiat, quàm efficiens efficiat; ita in eodem genere, cauſæ diverſæ ordinatæ licet habeant ordinem ſecundùm perfectius & imperfectius cauſare, non tamen habent prioritatem naturæ. R. *neg. antecedens*, loquitur enim Scotus de prius naturaliter eo modo quo apud Philoſophos cauſa dicitur prior effectu etiamſi non præextiterit illi. Unde l. 1. d. 39. §. juxta, docens voluntatem divinam eſſe priorem (ſcilicet cauſalitate) ipſius tendentiâ in oppoſitum addit: *Nec ſolum ipſa in volitione prior eſt naturaliter* (ſeu cauſaliter) *ſuo actu, ſed etiam in quantum eſt volens:* & ſtatim ſubjungit quod voluntas noſtra elicit actum ut prior naturaliter ſuo actu. §. autem præcedente ad 3. docuerat quod omnis potentia eſt cum actu vel ante actum prioritate naturæ. Ad pro-

robationem autem reſpondeo quod licet
cotus non ſemper confundat prioritatem
aturæ cum prioritate temporis, ut patet
: loco diſt. 39. jam allegato, aliquando ta-
en ſic eam accipit ut cum prioritate tem-
ɔris coincidat, & ita acccipit dicta d. 37.
i enim non rejicit à cauſis ſubordinatis
ioritatem cauſalitatis, ſed temporis quâ
ıa poſſit exiſtere ſine alia; quod probatur,
ıia ad prioritatem naturæ non requiritur
ıod unum poſſit eſſe vel cauſare ſine alio:
cotus autem ſolùm rejicit prioritatem
ıâ unum poſſit eſſe vel cauſare ſine alio,
cit enim quòd *prioritas quæ includit ea poſſe
e ſine invicem abſque contradictione, non eſt or-
in cauſis*, &c. Nec obſtat quod explican-
dicat prius naturâ .i. perfectius, quia
on intendit admittere inter illas cauſas ſo-
m 4. modum prioris ſeu dignitatis, ſed
cludere volens prioritatem eam naturæ
â dentur duo inſtantia in quorum uno
ius poteſt eſſe ſine altero & quæ reverâ
: temporis, admittit prioritatem 5. mo-
i. cauſalitatis, quâ cauſa in quantum cau-
, & quatenus dat eſſe, eſt prior & perfe-
or effectu conſiderato quatenus procedit
auſa. 4. probatur ex l. 4. ſent. diſt. 49.
i dicit quod *Non eſt contra naturam volun-
is quod determinetur à cauſa ſuperiori*, &c. *ſed
t contra naturam ejus determinari ab habitu
e à natura inferiori. Ad formam*, ſcilicet ar-
menti propoſiti, *contrà naturam ejus eſt de-*

 terminari

terminari in ſuo ordine, & nihil aliud primò repugnat ſibi: ſed ex conſequenti, eſt contra naturam ejus determinari à cauſa inferiori, quia tunc ipſa non eſſet ſuperior: non eſt autem contrà naturam ejus determinari à cauſa ſuperiori, quià cum hoc ſtat quod ſit causâ in ſuo ordine. Contra. Si cauſa ſuperior determinat, ergo voluntas in ſuo ordine cauſandi determinatur, ergo in ſuo ordine cauſandi non eſt contingens. R. propter cauſalitatem ejus in ſuo ordine eſt aliqualis contingentia ſed quod effectus qui prouenit ab ipſa & aliis, non omninò contingenter proueniat, hoc eſt quia alia cauſa prior, eſt determinata ad illum effectum. Ac poſtmodum oſtendit actum voluntatis à Deo determinatum pro tanto eſſe laudabilem, pro quanto voluntas in ſuo ordine contingenter ſe determinat. *Sed objicitur* primò, Scotus ibi loquitur de perpetuitate beatitudinis docens eam eſſe referendam in voluntatem Dei quæ humanam voluntatem determinare .i. neceſſitare poteſt. *R.* 1. quod Scoto non ſint eadem determinare, & neceſſitare: dicit enim voluntatem ita determinari ut ipſa nihilominus contingenter ſe determinet: ſi autem intelligeret eam neceſſitari, non concederet quod ipſa ipſiuſque actus remaneat contingens, contingens enim opponitur neceſſario: deinde ſatis probatur ex ejus lib. 1. ſent. diſt. 39. & 41. ſupra citato. 2. *R. quod licet* ei ſit propoſitum oſtendere cauſam perpetuitatis beatitudinis, in progreſſu tamen §. generaliora

iora aſſumit, ſimulque docet non eſſe con-
:ra libertatem voluntatis ſive beatorum
ive aliorum quod ipſa determinetur à
Deo. *Objicies* 2. Idem Scotus 1. ſent. d. 8. di-
:it voluntatem noſtram eſſe indetermina-
:am indeterminatione potentiæ activæ ad
ıtrumlibet non aliter quàm divinam; er-
gò non determinatur ab alio cujuſcunque
it ordinis. *R. neg. Conſeq.* Si enim ipſa eſt
ndeterminata, ac proinde poteſt ſeipſam
leterminare, ergò & Deus poteſt eam de-
erminare, ut ſuprà diximus. Eſt ergo in-
leterminata non aliter quàm voluntas di-
ına, quoad hoc quod liberè ſe determinat:
Magna tamen eſt differentia, quod una ſit
:auſa prima & independens, alia verò ſe-
:unda & dependens, quæ proinde ſic de-
pendet à prima ut non poſſit in actum exire
e ſolâ, niſi præmovente illo qui eam fecit.
Objicies 3. hujus, quare voluntas voluit hoc,
licit non eſſe aliam cauſam quàm quià eſt
voluntas, ergò Deus non eſt cauſa deter-
ninans. *R. neg. conſeq.* ibi enim loquitur de
voluntate divinâ, ut ex ejus verbis liquet.
*Si quæras, inquit, quare voluntas divina ma-
gis determinatur ad unum contradictoriorum
quàm ad alterum. R. indiſciplinati eſſe quærere
omnium cauſas & demonſtrationem*: & mox. *Et
ideò hujus, quare voluntas voluit hoc, nulla eſt
cauſa, niſi quia eſt voluntas: ſicut hujus, quare
calor eſt calefactivus, nulla eſt cauſa, niſi quia ca-
lor eſt calor, quia nulla eſt prior cauſa.* Quod ſi

etiam intelligas de voluntate creaturæ;tunc cenſendus eſt ſolùm excludere cauſam ejuſdem ordinis, ut patet in exemplo quod de calore adducit; quamvis enim nulla ſit cauſa ejuſdem ordinis cur calor ſit calefactivus, niſi quia eſt calor, eſt tamen cauſa ſuperioris ordinis, in cujus voluntatem referendum eſt non ſolùm quod calor ſit calor, ſed etiàm quod ſit calefactivus,ut ex B. Tho.diximus p.2.ar.4.*Objicies poſtremò*,idem Scotus, in 4.d.1.q.1.§.ad argumenta,dicit quòd non eſt influentia nova cauſæ primæ in ſecundam quando ſimul àgunt; ergo non movet aut determinat illam.R.*neg.Conſeq.* quià non negat univerſaliter cauſam primam influere in ſecundam, ſed negat influere aliquam formam activam & inhærentem. *Non eſt*, inquit, *influentia noua quæ ſit creatio alicujus inhærentis cauſæ ſecundæ.*ſed hac de re dicetur p.3.Magiſtri ſui mentem & doctrinam ſecutus Joannes de Baſſolis etiam diſertè affirmat Deum determinare omnia : nam lib. 1. ſent.d.38.ità loquitur. *Si accipiantur* (ſcilicet futura contingentia) *ut cadunt ſub determinatione diuinæ voluntatis, jam ſunt determinata ad alteram partem,& poſſunt determinatè cognoſci.* & infra : *Oportet*, inquit, *dicere neceſſariò quod ſunt determinata omnia in diuina notitia : & non propter hoc non oportet conſiliari, quia etiam & modus deueniendi ad illa per conſilium, apud illos quibus non ſunt determinata nec in ſe nec in notitia antequàm fiant, determinatus*

Quomodo futura ſint jam determinata.

eſt

eſt apud Deum, nec oportet Deum conſiliari cui non oportet determinari. Et lib. 2. diſp. 37. dicit impoſſibile eſſe quòd *Deus aliter ſciat hoc determinatè, niſi ex determinatione ſuæ voluntatis quà determinat hoc efficaciter fore,* ideoque addit quòd divina voluntas determinavit ab æterno quidquid erat factura, & quòd voluntas noſtra neceſſariò ſequitur illam determinationem non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione; & quòd nihilominus ſit libera, quia quantum eſt ex ſe & abſolutè loquendo, etiam contingenter ſe habet ad actum & ad oppoſitum actus omnibus neceſſariis ad actum poſitis præter primam cauſam. Et quia ſolet opponi actum non fore in poteſtate volūtatis ſi prærequiratur motio Dei, dicit quòd voluntas licet non habeat divinam virtutem in ſua poteſtate, tamen habet actum: quia abſolute loquendo in quantum voluntas talis eſt, poteſt velle vel non velle, ſicut etiam divina voluntas poteſt velle vel non velle, vel cauſare vel non cauſare. Quia etiam nonnulli ſic intelligunt Deum prius cauſare volitionem quàm voluntas cauſet quaſi ſint aſſignanda duo inſtantia naturæ, ideo idem de Baſſolis: *Dico,* inquit, *quòd non eſt imaginandum quòd Deus cauſet talem actum prius naturâ quàm voluntas ſic quod ex parte effectus ſit accipere duo inſtantia, in quorum uno ſit à Deo, & in alio poſteriori à voluntate. Sed in eodem inſtanti naturæ vel durationis cauſatur iſte actus*

ab

ab ambabus cauſis, & uno ſemel indiuiſibili: Et pro exemplo adfert effectum, qui cauſatur ab omnibus 4. cauſis ſimul ex parte ſui: licet una cauſa ſit prior alia puta finis efficiente & forma. Sic in propoſito idem effectus ſimul ex parte ſui fit à Deo, & voluntate, prius tamen naturâ à Deo tanquam à cauſa prima & ſuprema, *quæ* (ut ait idem §. ſed iſta) *mouet voluntatem ad omnem actum ſuum*.

ARTICULUS XXIV.

Quid S. Bonaventura ſentiat ex his accipe. *Abſque dubio*, inquit, lib. 2. d. quæſt. 6. *ſicut authoritates Sanctorum dicunt, neceſſe eſt ponere liberum arbitrium à gratia moueri & excitari. Ab ipſa enim gratia operante præuenitur & à coöperante ad opera meritoria eleuatur, ita quod reſpectu operis meritorii gratia eſt ſicut principalis motrix & voluntas ſicut pediſſequa*. Et poſteà aſſignans duos modos, quibus gratia dicitur movere liberum arbit. ſecundum dicit eſſe hujuſmodi. *Sicut lumen non ſolum operatur cum aëre, ſed etiam operatur in ipſum aërem ratione continuationis cum ſuo fonte: ſic etiam gratia non ſolum operatur cum libero arbitrio, ſed etiam operatur in liberum arbitrium & liberum arbitrium mouet*: quod gratiæ operanti convenire docet *Gratia enim operans*, inquit, *liberum arbitrium præuenit & mouet*. Prætereà d. 25. quæſt. 5. ponens diſtinctionem inter hæc tria, volunta-

Volũtas eſt pediſſequa & gratia eſt principalis motrix.

luntatem induci, invitari, & cogi dicit quod *Voluntas induci poteſt ab agente creato, mutari vero ab alio non poteſt niſi ab agente increato, cogi verò ab aliquo non poteſt*: ubi agnoſcit voluntatem à Deo ſolo immutari, non perſuaſiones (hoc enim eſt induci nam induci dicitur voluntas quando fit perſuaſio, ut ibidem ait) ſed per veram actionem quâ in voluntatem realiter operatur. Quomodò enim efficaciter immutaret Deus, ſi in illam non ageret? Si dicas Deum poſſe quidem voluntatem realiter immutare, ſed pro tunc non manere liberam, hoc repugnat Bonav. qui dicit per immutationem Deum facere ex amatore temporalium, contemptorem temporalium, liberè profectò agentem cum amans & contemnens liberè agant, unuſque eorum demereatur, alter autem mereatur. Sed & diſt. 37. q. 1. clarius adhuc affirmat Deum in ipſas cauſas influere & operari. *Quia* (inquit) *Deus eſt cauſa primordialiſſima, ideo eſt maximæ influentiæ in cauſas ſecundas*; ergo non ſolum in effectum. Si dicas quod influat mediante effectu: contra, prius attingitur cauſa quàm effectus ſicut inſtrumentum prius attingitur quàm res per illud facta: deinde influentia primæ eſt in ſecundam ut producat effectum, ergo non mediante effectu attingitur cauſa ſed mediante causâ tangitur effectus, quia influentia cauſæ primæ pertingit ad effectum per ſecundam & non contrà

Volūtas à ſolo Deo poteſt immutari.

trà ut ſignificat B. Thomas quæſt. de unione verbi: ideoque eſt ſciendum quod licet Deus omnia operetur immediatè, multa tamen operatur mediatè juxta ea quæ habet Alexand. Alenſis 1. p. q. 9. m. 2. quatenus illa facit mediantibus cauſis ſecundis dum per eas ordinem ſuæ providentiæ exequitur: quod tamen ita debes accipere ut dicas Deum immediatè omnia operari immediatione virtutis & immediatione ſuppoſiti: quia in omnibus rebus intimè operatur, & tam ipſius virtus quàm eſſentia omnibus adeſt intimè. Nec obſtat quòd ſic erunt duo immediatè agentia quia *non eſt inconveniens quòd producatur idem effectus ab inferiori agente & Deo, ab utroque immediatè, licet alio atque alio modo* ait B. Thom. lib. 3. contra Gent. cap. 70. Dum verò in reſponſione ad ultimum S. Bonav. docet in operibus indifferentibus vel etiam malis non eſſe niſi ſolam coöperationem divinæ virtutis, excludit ſolam excitationem ſeu præventionem gratiæ: *Excitatio enim*, inquit, *dicit aliquem effectum gratiæ prævenientem ipſam voluntatem, hæc autem requiritur in bonis meritoriis, in aliis verò operibus non eſt niſi ſola cooperatio* (non gratiæ præventio, de qua præceſſit) *divinæ virtutis.* Jam verò ex hoc ipſo Bonav. loco ſic licet argumentari. Deus ex mente S. Bonav. excitat & prævenit voluntatem ad opus meritorium: ſed prævenire & excitare eſt prius naturâ movere adeoque prædetermi-

Deus operatur omnia immediatè.

termi-

terminare (ideò enim arbitrantur nonnulli eum hîc excludere prædeterminationem, quia ab operibus quibuſdam videtur excludere præventionem) ergo ad opus meritorium Deus prævenit, excitat, & præmovet voluntatem ; ergo præmotio conſiſtit cum libertate; non enim cenſet Bonau. quòd Deus præveniens voluntatem ei libertatis uſum auferat,ut ex d.27,l.2. ſup. oſtendimus. Quando idem S. Doctor dicit totam actionem eſſe à Deo & totam à libero arb. non eſt putandus ſignificaſſe quòd Deus ſimul naturâ operetur cum libero arb.ita ut influat in effectum & non in cauſam, alioquin enim ſuis præcedentibus verbis contradiceret, & exemplum duorum ferentium ingentem lapidem non rectè repudiaret.Duo enim ſimul naturâ operantes ad eundem effectum ſimiles ſunt duobus ferentibus lapidem aut trahentibus navem. Unde & Bellarminus lib.4. de gratia & libero arb. cap. 15. Deum & creaturam agentem illis comparat. *Dices* S. Bonaventura rejiciens illud ſimile ſolum vult excludere operationem independentem, qualis eſt duorum qui lapidem portant quorum neuter pendet ab alio;Bellarminus autem illo ſimili vult oſtendere creaturam non immutari nec præmoveri à Deo, ſicut unus eorum non immutatur ab altero, ergo ille benè rejicit & iſte benè approbat. *Reſp. negando primum antecedens* ; excludit enim

enim ibi S. Bonaventura coöperationem ſimultaneam talem quâ neuter agat in alium: ſic enim habet. *Non eſt intelligendum quod Deus coöperetur libero arb. ſicut cum duo ferunt lapidem unus coöperatur alteri, ſed quia Deus eſt intimè agens in omni actione & intimus eſt ipſi potentiæ operanti, ita quod potentia ipſa in nihil exit quod non ſit ab ipſo.* Si eſt intimè agens & intimus ipſi potentiæ, ergo dum operatur attingit potentiam, ideoque non concurrit in ſolum effectum, ſed etiam in cauſam: Ipſa enim potentia cui Deus agens eſt intimè præſens, eſt cauſa effectus. Cardinalem autem Bellarm. illo ſimili benè uti ex dicto antecedente non ſequitur, quia falſum ſupponit; ſcilicet creaturam non præmoveri à Deo, nec impelli, nec ab eo vires accipere quando actu agit, cum tamen Deus compellat voluntates ut dicit Eccleſia; & det creaturæ aliquid, ſcilicet ipſum agere, ut ſæpè diximus, donetque vires efficaciſſimas ut ex Auguſt. loquitur Tiletanus. Huc etiam pertinet quod Gregorius Ariminenſis l. 1. ſent. d. 17. quæſt. 4. art. 2. ad 7. diſertè aſſerit quod Deus *determinat liberè agens naturale: quod agens naturale à primo agente liberè determinatur.* Et in 2. d. 34. 35. &c. quòd Deus movet voluntatem noſtram, facitque ipſam agere. Ubi manifeſtè loquitur de determinatione ad agendum, quandoquidem ſic Deum movere dicat ut ſit cauſa cur voluntas operetur;

tur; ſive ut faciat eam facere. Sed & Capreolus in 2. diſt. 37. quæſt. 1. expreſsè dicit quòd *motio Dei non determinat voluntatem creatam ad aliquid quod ſit ſecundum ſe malum ſed ad illud quod eſt ſecundum ſe bonum*. Et diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. aſſerit quod Deus cauſet actum, *immediatè mouendo potentiam*, quodque potentia *ſit inſtrumentum Dei*, ſed liberum. *Deus nō determinat ad malum ſed ad bonum.*

ARTICULUS XXV.

Hanc eandem de Dei in cauſas ipſas actione doctrinam docuerunt Lovan. ut patet ex Adriano 6. ſup. citato & ex aliis jam citandis. Ruardus Tapperus Cancellarius Lovanienſis etſi quædam habeat in ſpeciem nobis contraria, apertè tamen præmotionem Dei aſſerit: & quæ in eo videntur eſſe contraria, facilè explicari poſſunt, ut non intelligatur negare omnem determinationem, ſed eam tantum quæ neceſſitet; aſſeratque ſimultaneam operationem non naturæ ſed temporis. Tomo 1. editionis Colonienſis pag. 189. *Gratia*, inquit, *ad bene operandum neceſſaria, eſt motio qua Deus applicat intellectum ad cogitandum ſalutaria & voluntatem ad eadem bene afficit*, &c. pag. 191. *Suaſio ſola, ſiue à Deo fiat ſiue ab homine, non mouet voluntatem efficaciter*: & poſteà voluntatem comparat inſtrumento quod à Deo movetur ut ab agente principali. Pag. autem 193. dicit quod ſi requiratur *Louan. authoritates.* *Sola ſuaſio nō mouet efficaciter.*

ratur gratia per quam voluntas à Deo effe-ctivè flectatur, nihil mutat, nec impedit voluntatis libertatem in libero uſu gratiæ, *quia ita ſuauiter inclinat & determinat eam Deus, ut liberè ſequatur.* Et pag. 197. *Quamuis*, ait „ *ſub Dei determinatione non tamen propterea minus liberè ſe determinat* (ſcilicet voluntas) *quàm ſi non concurreret nec determinaret Deus* .i. etiamſi Deus voluntatem determinet, non tamen minus liberè ipſa ſe determinat quàm ſi Deus eam non determinaret. Dum autem dicit non eſſe diſputandum quis prior ſit in determinando, Deus an voluntas, non negat prioritatem cauſalitatis, de qua pag. 191. dixerat ex Auguſtino: *Dei voluntas ſemper prior eſt voluntate hominis ad bonum.* Et de qua pag. 224. dicit: *In omni opere ſancto prior eſt voluntas Dei, poſterior eſt voluntas liberi arbitrii .i. operatur Deus, coöperatur homo*; ſed prioritatem, quâ ponantur duo naturæ inſtantia unum prius & alterum poſterius, quæ poſſint à ſe invicem ſeparari, ut patet ex pag. 200. ad 2. argumentum : & ex dictis ſupr. ex Scoto.

Deus volūtatem determinat.

Driedo lib. de concordiâ lib. arb. cap. 3. *Ad omnia, inquit, quæ & facit & facturus eſt Deus, ſua voluntas ab æterno ſeſe determinauit.* Et infrà. *Verum quidem eſt homines jam Dei prædeſtinatione juſtificatos, ſuis ſtudiis, ſuis circumſpectis deliberationibus, ſuiſque conſiliis rectis ſeipſos determinare ad bonorum operum electio-*

electiones, ſed Deus facit eos ad bene viuendum ſpontaneè determinare ſeipſos; & omnia hæc facere liberâ voluntate. Et in fine c. 2. l. decaptivit. tractatu 5. ſæpiùs inculcat Deum facere ut liberè velimus: tractatu autem 6. c. 6. docet ex ſcripturis quod gratia ſe habet ad liberum arbitrium ſicut artifex ad inſtrumentum, quodque ſicut homo facit calamum aut ſerram ſcribere aut ligna dividere, ita Deus faciat ut nos faciamus, addens in eo eſſe diſſimilitudinem quod ſerra vel calamus non agant ex libero ſuæ rationis arbitrio ſicut voluntas, ſimilitudinem autem in eo *quod liberum hominis arbitrium à Deo recipiat non vires ſolum ſeu poſſibilitatem operandi, ſed & motum & actionem quâ fiunt opera bona, &c.* multaque habet ibidem huc pertinentia.

Deus facit hominem ſe determinare.

Voluntas recipit motum à Deo.

Joannes Lenſæus lib. 1. de Chriſtiana libertate cap. 8. *Nihil*, inquit, *in bono opere liberum poteſt arbitrium, niſi diuinitùs moueatur: Ut autem moueatur; in manu Dei eſt ſicut lutum in manibus figuli. Sed omninò ſic mouetur diuinitùs ut & ſeipſum moueat, &c.* Quod autem non moveatur ſolis ſuaſionibus oſtendit l. 5. c. 17. dicens gratiam nihil aliud eſſe quam interiorem admonitionem vel pulſum.

Jacobus Latomus in reſpon. ad Lutherum cap. 3. conformiter S. Thomæ, præter eum modum quo Deus movet voluntatem infundendo illi qualitatem ſeu ha-

bitum charitatis dicit quod aliter homo adjuvatur à Deo *in quantum anima hominis diuinitus mouetur ad aliquid cognoſcendum, volendum, vel agendum : & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas ſed motus quidam animæ.* Et lib. adverſus Eraſmum tit. de merito, diſertè aſſerit non ſolum nos cum Deo liberè operari ſed etiam Deum in nobis & per nos operari.

Cunerus autem ſæpius quidem ait Deum non prius operari quam voluntas, ſed manifeſtè loquitur de præventione temporis : nam lib. de libero arbitrio cap. 9. ſic dicit ſimul concurrere, ut neque ante incipiat, neque poſteà duret. Et hinc etiam eſt quod licet ſæpius utatur verbo concurſus, nunquàm tamen dicit quod ille concurſus tendat in ſolum effectum & non in cauſam; quinimò contrarium ſæpe exprimit, ut dum lib. de gratia Chriſti cap. 10. ait quod in actibus naturalibus & iis qui mali non ſunt Deus *cauſas ſecundas ad actus ſuos & motus determinat & applicat faciens eaſdem operari.* Et cap. 9. referens D. Thomam & Bonavent. & pleroſque alios docere quod Deus præter virtutum naturalium conſervationem, ipſas vires & potentias ad opera & actus applicet, dicit illam ſententiam eſſe ſcripturis & rationibus conformiorem. Undè etiam cap. 7. gratiam quæ ſolum ſit ſuaſoria dum ex Aug. rejecit, ita concludit. *Non in hoc ſolum ponenda eſt gratia Chriſti*

Deus cauſas 2. determinat.

quod

quod præuiâ aliquâ cor noſtrum inſpiratione pulſat, ſed quod per Spiritum ſuum facit ut operemur; citatque illud Ezech. 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*. Dùm verò dicto c. 10. negat influxum novum in cauſis ut operentur, ſignificat cauſas ſecundas nullam virtutem, formam, aut qualitatem novam accipere à Deo quando moventur, quià cum continua ſua influentia illis adſit, dat ipſis hoc ut operentur. *Ezech. 36.*

Heſſelius in explicatione orationis Dominicæ cap. 39. ex Aug. confutat eos qui putabant auferri liberum arbitrium cum à gratia prævenitur, docetque Deum ut à peccato purgemur non expectare voluntatem noſtram: & cap. 37. ita affirmat hominem gratiâ Dei agi ut benè velit, ut tamen non neceſſariò velit, multiſque docet toto illo opere Deum operari in nobis, & facere ut faciamus, quod nihil eſt aliud quam eſſe cauſam ut faciamus, ideoque prius cauſalitate operari. Similia docuit Tiletanus in apologia pro Con. Trid. ad ſeſſ. 6. dicens ex Aug. Deum operari in nobis, facere ut operemur, & donare vires quibus credamus, velimus, & operemur.

Janſenius in caput 16. Proverb. eruditè dicit quod *etiam hoc ipſum quod cum Dei gratiâ loqui propoſuit* (homo) *eloqui benè non valeat ſine nouâ & ſingulari Dei gratiâ quæ linguam moderetur & gubernet*: ubi etiam addens

non ſatis eſſe quod Deus memoriæ ſuggerat præcogitatum ſed debere etiam moderari linguam dicentis, egregiè ſuaſiones ſolas ſufficere negat, requiritque operationem Dei cauſam ipſam attingentis.

ARTICULUS XXVI.

EAndem hanc de præmotione Dei ſententiam docuerunt celeberrimi ex Societate Jeſu Scriptores Toletus, Pererius, Caniſius, Coſterus, Azorius, imò & Bellarminus. Cardinalis Toletus lib. 2. Phyſ. cap. 3. q. 8. cum dixiſſet Deum operari actiones cauſarum ſecundarum ſicut dans & conſervans virtutem activam, addit Deum eandem virtutem applicare ad agendum, & ſic movere cauſam ſecundam ſicut artifex movet inſtrumentum; ac deindè concludit quod *cauſæ ſecundæ operentur, ſed à Deo motæ & directæ ſicut inſtrumentum movetur ab artifice* : quæ ſi de applicatione formali in ſolum effectum tendente explices, authori contradices qui expreſſis verbis loquitur de applicatione quâ ipſa virtus activa applicatur, ipſaque cauſa movetur & dirigitur. Pererii autem lib. 8. de cauſis cap. 8. hæc ſunt verba : *In eo quod adjungit D. Thomas cauſas ſecundas, & in his voluntatem noſtram à Deo moveri, applicari, & determinari ad agendum, licet nonnulli diſſentiant Theologi, ego tamen manibus, pedibuſque in eam-ſententiam perquàm lubenter eo.* Ubi & ar-

argumenta contraria reſolvit. Caniſius in ſumma doctrinæ Chriſtianæ tit. de juſtitia Chriſtiana. *Eâ*, inquit, (ſcilicet gratia Dei) *præeunte & adjuuante perficitur quod Joannes affirmat. Qui facit juſtitiam juſtus eſt.* Coſterus in lib. controverſ. cap. 5. de libero arb. dicit peccatorem non poſſe à peccatò reſurgere, *neque piè erga Deum affici aut pio affectu de Chriſto ut redemptore ſuo loqui ſine diuinâ motione & gratiâ præeunte, ſicut poſt D. Auguſt. aduerſus Pelag. definierunt ex ſcripturis Concilia Mileuit. & Arauſicanum*: quod ipſum ubi ex ſcriptura probavit, ſubdit tantam eſſe voluntatis & cordis duritiam, *ut niſi miſericors gratia Dei præueniat, & mentem illuſtret, affectumque moueat; nunquam ſeriò pœniteat, vel ad Deum reuertatur: debet enim Deus præuenire nos in benedictionibus dulcedinis.* Ac poſteà deſcribens gratiam prævenientem dicit eam eſſe motionem Dei quâ intellectum quidem illuſtrat, hortatur, eique ſuadet; voluntatem verò ſuaviter piâ affectione movet & ad bonum inclinat, quæ non ſuſcipit tantum vel patitur aut agitatur, ſed operatur, & agit, ac gratiæ coöperatur ut ibidem aſſerit, addens etiam nos operari ad conuerſionem noſtram arbitrii noſtri viribus, *ſed Deus nos primus monet* (quoad intellectum) *& mouet* (quoad voluntatem) *præueniente gratia*, de quâ paulò ante dixerat quod eâ tangente animam molleſcat cor. Cap. verò 7. docet Chriſtum uti nobis

1. Jo. 3.

Christus utitur nobis ut mẽbris. bis ceu membris: & Spiritum S. inhabitantem per nos operari: Ergò ex ejus mente dicendum eſt quod Deus præveniat nec libertatem tollat; quod cauſam attingat, non ſolum effectum: quod efficaciter illam moveat & applicet. Sed apertius adhuc loquitur Azorius libro 1. inſt. mor. per Generalem & doctiſſimos ex Societate Theologos probato, cap. 21. quæſt. 8. ejus verba ſunt: *Octauo quæritur, An Deus quandò cum natura vel voluntate operatur, ipſam moueat & applicet ad agendum. S. Thomas apertè ſic ait: Deus non ſolum dat formas rebus, ſed etiam conſeruat eas & applicat ad agendum, &c. Cæterum mihi videtur veriſſima S. Thomæ ſententia: eam enim planè videtur Auguſtinus tradere lib. 3. de Trinit. cap. 3. 4. 5. & 6. &c. Ideò enim dici videtur cauſa ſecunda quia mouetur à prima, alioquin enim ſolum eſſet cauſa cum prima ſicut cum ſimul duo trabem portant: ubi quia unus ad portandum non mouetur & applicatur ab altero, dici non poteſt cauſa ſecunda alteri comparata, ſed eſt ſimul cum altero cauſa. At verò Deus non ſic agit cum cauſa ſecunda: verbi gratiâ Deus & ignis lignum exurunt, non præcisè tanquam duo nauem trahentes; quod ex multis perſpici poteſt, primo cum duo ſimul nauim trahunt, unus non facit ut alter trahat, ſed ſimul cum altero trahit, & ideo ad trahendum non mouet & applicat alterum: ſed Deus non ſolum cum igne urit, ſed etiam facit ut ignis urat;* &c. *Sed fortaſſe objicies* quod Azorius & Pererius iſta retractaverint: Verum

Cur cauſa 2. vocetur ſecunda.

Vide 2. p. art. 8.

rum licet hoc à quibuſdam dicatur, non probatur tamen, neque extat ullus liber in quo retractationis fiat mentio. Prætereà Pererius manibus & pedibus perquàm lubenter vadit in noſtram ſententiam, in contrariam verò ne quidem digitis vadit: alioquin cum multa poſtmodum ſcripſerit, quare in illis ſuis ſcriptis poſterioribus non emendavit? Denique ſi poſſet probari eorum retractatio, nunquam tamen oſtendetur quod dixerint B. Thomam non aſſeruiſſe cauſas ſecundas à Deo præmoveri & determinari, ideoque manet certum hanc eſſe B. Thomæ ſententiam. Sed mirum: etiam illi qui contra nos ſentiunt, pro nobis (velut ab ipsâ veritate compulſi) loqui coguntur. Nam Bellarminus, quamvis concurſum ſimultaneum propugnare conatus ſit, non audet tamen finaliter ſententiam noſtram improbare. Nam lib. 4. de gratiâ & lib. arb. cap. 15. ponit unum modum conciliandi operationem Dei cum libero arbitrio, ſcilicet quo immediatè influit in effectum, neque voluntatem determinat: ſed capite ſequenti ſic pro nobis loquitur. *Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum coöperatione divina, & fortaſſe etiam probabilior eſt juxta ſententiam S. Thomæ, qui docet coöperationem divinam ita concurrere cum ſecundis cauſis etiam liberis, ut non ſolum eis dederit, & conſervet virtutes operatrices, ſed etiam eas moveat, & applicet ad opus, ut cognoſci po-* *Probabilior opinio juxta Bellar.*

poteſt ex prima parte q.105 .art.5. & lib.3.contra Gent.cap.70. & in quæſt.3.de potentia art.7. quæ ſententia videtur valde conſentanea, tum ſcripturæ, quæ dicit nos in Deo eſſe, vivere & mori Act. 17. tum etiam rationi & ordini, quem habet prima cauſa cum ſecundis. Quibus verbis non tantum ſententiam noſtram ſcripturæ ſacræ valde conſentaneam eſſe aſſerit, ſed etiam eandem B. Thomæ tribuit, probans ejus mentem ex 1.p.q.105. & ex q.3. de potentia, ut proinde prorſus nugatorium ſit dicere ea quæ docuerat q. 3. de pot. eſſe retractata in 1. p. q. 105. cum teſtibus Bellarmino, Molina, & Conimbricenſibus de quibus 1.p.art.9.egimus,idem doceat q.105 quod prius docuerat in q.3.de pot.Similiter Suarez & Conimb. qui apertè contrà nos ſentiunt, non poſſunt tamen evadere quin dicant Deum determinare cauſas ſecundas ad ſingularitatem effectus, adeò ut quærenti cur hic ignis potius producit hunc calorem quàm alium, non aliam ſciant reſpondere cauſam quàm Dei voluntatem quæ ignem ſic determinavit. Suarez enim diſputatione 5. ſuæ metaphyſ ſectione ultimâ cum retuliſſet quoſdam dicere quod Deus videns hoc agens eſſe indifferens ad hanc vel illam formam in individuo & ex ſe non poſſe eligere ſeu determinare actionem ſuam, ipſe ſuâ voluntate decrevit dare concurſum ad tale individuum, & conſequenter cauſa ſecunda determinatur ad agendum hic

Act.17.

hic & nunc tale individuum & non aliud, ſubjungit. *Hunc dicendi modum obiter attigi in citato loco, mihique non placere ſignificaui, quia illa ratio non videtur ſatis Philoſophica, & quia in actibus liberis habet aliquas difficultates: nunc autem re attentius conſiderata cenſeo eſſe valde probabilem, tum quia non ſolum Gregorio in* 1. *d.* 17. *quæſt.* 4. *art.* 2. *ad* 7. *& d.* 35. *quæſt.* 1. *art.* 1. *& aliis nominalibus, verum etiam multis modernis ſcriptoribus doctiſſimis placere video: Toletus enim* 8. *Phyſ. quæſt.* 3. *concl.* 2. *ratione* 3. *ex hoc colligit libertatem primæ cauſæ, quod pro ſola voluntate ſua determinat cauſas ſecundas ad indiuiduos effectus. Fonſeca etiam* 1. *metaphyſ. cap.* 2. *quæſt.* 3. *ſect.* 8. *dicit in quibuſdam effectibus neceſſarium eſſe recurrere ad diuinam determinationem & præfinitionem, quod repetit lib.* 5. *capite* 2. *quæſt.* 9. *ſect.* 2. *ratione* 6. *quâ probat eſſentialem dependentiam cauſarum ſecundarum à prima in agendo, & idem docent copulata Conimbricenſia lib.* 2. *phyſ. cap.* 7. *quæſt.* 15. *art.* 2. Et diſput. 20. ſect. 2. *Agens*, ait, *naturale applicatum paſſo ex ſe indifferens eſt ad producendum hanc vel illam indiuiduam formam ex infinitis, determinatur autem per concurſum Dei.* Quibus ſimilia repetit ſect. 4. n. 5. & 35. d. 22. Conimbr. autem lib. 2. Phyſ. quæſt. 15. art. 2. docentes determinationem effectus non poſſe peti, nec ex ſingulis circumſtantiis, nec ab earum complexu .i. ab hoc agente, hoc cæleſti influxu, hac materia, hoc loco, cæteriſque hujuſmodi in unum collectis,

Cauſa 2. nō ſolum determinatur à Deo ad ſingularitatem, ſed etiā ad exercitium.

Deus igně determinat.

ctis, ſtatuunt hanc concluſionem ſecundam. *Actio cauſæ ſecundæ determinatur per ſe primò à Deo quoad ſingularitatem*: quam ut probent dicunt eſſe recurrendum ad cauſam primam quæ ignem alioqui ex ſe indifferentem, virtutis ſuæ efficacitate determinet, quæque præfinit quinam actus ſingularis hoc loco & tempore momentoque ſit exercendus. Art. deinde 3. ſequenti rurſum affirmant ipſas cauſas ſecundas à Deo determinari & *agentia creata præfinita concurſu primæ cauſæ determinantis tendere in ſingularia per ſe exiſtentia*: eademque repetunt lib. 2. de gener. cap. 1. quæſt. 1. art. 3. Quibus verbis nunquid ipſam cauſam à Deo attingi, determinari, & præfiniri aſſerunt? Si autem determinat cauſam & præfinit agentia, quomodò concurrit in ſolum effectum, & non in cauſam? Et dum Suarez laborat ut inveniat quid ſit determinatio cauſæ quam ex B. Thoma aſſeruimus, quídve ponat in cauſa ſecunda: quærat primò & inveniat quid ſit determinatio quâ Deus ignem determinat ad ſingularitatem & ad exercitium actus, ut hic & nunc producat hunc calorem potius quam alium vel alio tempore: quod ſi invenit, ſuæ menti ſatisfaciat; ſin minus credat, multa enim, etiam quæ minima videntur, à Deo fieri videmus quorum modum & ordinem non tenemus, nec poſſumus. Denique ut hanc partem concludamus cum Catechiſmo Ro-

mano

mano ex decreto Concilii Trid. facto & recepto dicimus : *Non ſolum Deus, uniuerſa quæ ſunt, prouidentiâ ſuâ tuetur atque adminiſtrat, verum etiam quæ mouentur, & agunt aliquid, intimâ virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamuis ſecundarum cauſarum efficientiam non impediat, præueniat tamen, cum ejus occultiſſima vis ad ſingula pertineat, & quemadmodum ſapiens teſtatur, attingat à fine uſque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſuauiter.* Ita Catechiſmus parte 1. cap. 2. quæſt. 20. Quæ verba propriè (ſicut debent) accepta ſignificant Deum prævenire & impellere, non ad peccatum quod nihil eſt, ſed ad actum qui ſubſtantialiter ſemper bonus eſt. *Dices primo*, quomodò idem Catechiſmus dicit nos eſſe ſimiles pueris, ſi à Deo impellimur. *Reſp.* quia ut idem Catech. loquitur p. 4. c. 12. q. 3. *Pueri ſumus & imprudentes ludicris ſermonibus & actionibus dediti, ſi à diuino præſidio deſeramur, &c. Et quia niſi præſto nobis ſit Dei auxilium, rejectis iis quæ verè bona ſunt, ad interitum ruimus voluntarium. Sed dices*, quod ſequitur efficax Dei decretum non debet dici fieri temerè, ergo, &c. *R.* non fieri temerè reſpectu cauſæ primæ, fieri tamen temerè reſpectu cauſæ proximæ, quæ temerè ſicut & contingenter poteſt agere, etiamſi Deus qui eſt cauſa ſuprema nec temerè agat nec contingenter. Vide l. 1. contra Gent. c 86. & 1. p. q. 14. art. 13. ad 1. q. 19. art. 8. & q. 116. art. 1.

Deus præuenit.

PARS

HActenus conati ſumus oſtendere ità Deum in omni operante operari, ut operantem attingat, moveat, præmoveat prædeterminet: Tertio jam loco declarandum eſt; quid ſit prædeterminatio: quid in cauſis ſecundis ponat: & an ipſa cauſa ſecunda dum agit mutetur.

ARTICULUS I.

CUm pro iiſdem ſumantur in hac materiâ præmovere, prædeterminare, & applicare cauſam ſecundam ad operationem, ſatis notum erit quid ſit prædeterminatio, ſi clarè oſtenderimus quid ſit applicatio. S. Thomas 1. 2. q. 16. docet quod uti re aliquâ ſit eam applicare ad operationem: *Uſus rei alicujus* (inquit art. 1.) *importat applicationem rei illius ad aliquam operationem, undè & operatio ad quam applicamus rem aliquam dicitur uſus ejus*: Et articulo 2. *Uti eſt applicare aliquod principium actionis ad actionem.* Ex quibus colligere licet quid ſit prædeterminatio & applicatio quâ Deus cauſas ſecundas, earumque virtutes activas applicat ad actionem: eſt enim uſus ille actionis quo Deus utitur cauſâ ſecundâ ad operandum. Sicut enim utens ſecuri, illam determinat & applicat ad ſcindendum eo

Quid prædeterminatio.

ipſo

ipſo quo facit eam agere, & per eam ſcindit: ità Deus utens cauſa ſecunda illam applicat & prædeterminat ad agendum. Hic tamen aliquid diſcriminis eſſe ſuprà monuimus, hoc videlicet quòd Deus cum ſit incircumſcriptus & infinitus tangat immediatè cauſam & effectum, non autem artifex utens inſtrumento; & quod inſtrumentum artificis habeat ſe merè paſſivè, cauſa autem libera quandò determinatur habeat ſe paſſivè ſimul & activè, quia ità movetur à Deo ut etiam moveat ſeipſam. Ex his haberi poteſt: an motio Dei habeat ſe per modum principii an per modum actionis: comparata enim ad cauſam ſecundam quæ movetur, habet ſe per modum principii, quia motio Dei immanens quæ cauſam ſecundam movet non eſt aliud quam ipſe Deus movens: comparata autem ad cauſam primam ut tendentem in effectum, habet ſe per modum actionis, quia eſt uſus ille actionis quo Deus utitur cauſa ſecunda ad operandum, ipſaque ratio quâ cauſa prima dicitur agere in & per cauſam ſecundam: & ſic motionis illius terminus proximus eſt cauſa ſecunda quæ primò attingitur, ſed ultimus eſt effectus per eam productus. Si quæras: an prædeterminatio ſit res diſtincta ab actione cauſæ ſecundæ. *Reſp.* patet ex dictis: ſi enim ſermo ſit de prędeterminatione quæ eſt actio Dei immanens, eſt res ab actione creaturæ diſtincta; ſi

Quid prædeterminatio differt ab actione cauſæ 2.

ſi de prædeterminatione quæ eſt actio Dei virtualiter tranſiens, qua cauſa ſecunda formaliter determinatur & agit, non eſt res ab actione creaturæ diſtincta. Sicut enim equitare eſt uſus equi, nec differt ab equitatione; percutere eſt uſus baculi, nec differt à percuſſione; ſcindere eſt uſus cultri nec differt à ſciſſione, ſcilicet realiter: ita cauſam ſecundam operari eſt uſus cauſæ 2. nec realiter differt ab ejus actione: ignem urere eſt uſus ignis, nec realiter differt ab uſtione. *Petes* quare ergò cauſa ſecunda non dicitur ſeipſam prædeterminare. *Reſpondeo* hoc poſſe dici, ſi habeatur reſpectus prioritatis ad effectum ſeu terminum actionis, quia prius natura fit actio quàm terminus ſit in paſſo receptus. Nec valet replica dicentium quod cauſa non prius agat quam ſit agens, quia hoc non dicimus, ſed tantum aſſerimus cauſam prius agere quam effectus ſit in paſſo receptus. Sed eſto, non dicatur abſolutè cauſa ſecunda ſe prædeterminare, quæ tamen facit actionem eandem cum Deo: ratio eſt, quia una cauſa non eſt prior ſeipſa, prima tamen cauſa eſt prior quàm ſecunda, ideoque prius agit quam illa. *Petes* ſecundò, quare eadem actio non eſt prior & poſterior ſeipſa? prior quatenus eſt prædeterminatio, poſterior quatenus eſt effectus prædeterminationis. *R.* quod actio ſimul tempore emanans à Deo & creatura,

prius

prius tamen natura ab illo quam ab iſta abſolutè eſt poſterior prædeterminatione quę eſt actio Dei immanens, quæque dicitur cauſa actionis: aliquin ſumendo determinationem prout realiter identificatur actioni, ſic actio nec eſt prior, nec poſterior determinatione, nec eſt effectus determinationis; ſed eſt illa ipſa determinatio quam Deus dicitur prius natura facere, quia prius natura procedit ab illo quam à cauſa ſecunda. Quanquam ſi determinationem actioni creaturę identificatam conſideres ſub formali ratione actionis, adhuc poterit dici prior eadem illa re conſiderata ſub ratione paſſionis jam receptæ in ſubjecto, ſicut actio dicitur prior paſſione, & motio moventis prior motu mobilis etiamſi ſit eadem res.

ARTICULUS II.

SEcundo loco examinandum eſt quid ſit illud quod cauſa ſecunda recipit quandò determinatur à Deo, an forma, an qualitas, an virtus, an aliquid aliud. Putamus dicendum quod ſicut artifex una numero actione ſcindit per ſecurim, & ignis ſimul cum calore eadem numero calefactione calefacit. Ita Deus & cauſa ſecunda operantur per actionem eandem numero, juxtà ea quæ habet B. Thomas 1. p. q. 105. art. 5. ad 2. ubi dicit quòd *nihil prohibet quin una & eadem actio procedat à* 1. *&* 2. *agente*

Quibus

Quibus ſimilia habet lib. 3. contrà Gent. cap. 70. & Joannes de Baſſolis in 2. d. 37. diſertè affirmat quod *eâdem cauſatione paſſivâ effectus cauſatur ab utraque cauſa, & ità non bis ſed ſemel cauſatur.* Quo poſito dicimus quod cauſa ſecunda quandò determinatur à Deo, neque nihil recipit, neque tamen recipit qualitatem, aut formam vel virtutem in ea inhærentem, ſed recipit hoc, eſſe cauſam actu, agere, operari, & producere effectum. Sicut enim aliud eſt agere, quàm poſſe agere: ita Deus qui cauſis ſecundis dat poſſe agere, dicendus etiam eſt dare illud (agere) & hoc eſt modus ille ſeu motus quo potentia aliter ſe habet dum agit quàm dum quieſcit, quia ſcilicet eſt actu agens cum antè ſolum eſſet potentiâ. Et ſicut igni non eſt aliud urere quàm uſtio, nec calefacere quàm calefactio, nec baculo aliud percutere quàm percuſſio, ità hoc quod cauſa ſecunda recipit dum determinatur, ſcilicet agere non differt realiter ab actione. *Si inſtes*, actio tranſiens recipitur in paſſo; ergo quandò cauſa ſecunda determinatur ad actionem tranſeuntem non recipit actionem. *Reſp. neg. conſeq.* quia licet actio ſit in patiente ut in eo ſubjectivè recepta quoad ſuum plenum eſſe & terminum; eadem tamen originaliter, cauſaliter, & inſtar virtutis tranſeuntis eſt in agente ſicut in principio elicitivo; undè & dicitur ab illo procedere; quia ſcilicet ab

Quid recipiat cauſa à Deo.

ab eo incipit & deſinit in paſſum. Imò ipſe Philoſophus, eumque ſecutus B. Thomas in lib. 3. Phyſic. docent motum & actionem eſſe actum duorum, ſcilicet motivi & mobilis, unius ut ab hoc, alterius ut in hoc: ideoque obſervandum eſt quod actio quæ identificatur motui, duo includat formam in recto, fluxum & originem in obliquo: & juxta hæc, *actio*, inquit Capreolus lib. 2. d. 1. quæſt. 1. *Poteſt dici eſſe ſubjectivè in mobili, & poteſt dici eſſe ſubjectivè in mouente* ſcilicet ſecundum diverſa quæ ſunt de ratione ejus in recto vel in obliquo. Si ergò conſideretur actio prout dicit in recto formam, & prout conſiderata in facto eſſe identificatur ſuo termino, ſic eſt ſubjectivè in paſſo; ſi verò conſideretur quantum ad originem & fluxum ſic eſt ſubjectivè in agente: ac proindè actio quantum ad ſuum materiale id eſt quantum ad formam denominat ipſum agens denominatione extrinſecâ, ſed quantum ad illud formale quod complet rationem ejus denominat agens denominatione intrinſecâ, ſcilicet agere & cauſare motum: ita ferè Capreolus. Neque verò hinc colligendum eſt in agente non eſſe niſi relationem, nam modus ille agentis, fluxus, & origo motus, partim eſt abſolutus, partim reſpectivus: eſt reſpectivus quatenus dicit ordinem & fluxum; ſed quatenùs ille fluxus eſt fluxus formæ poſitivæ quæ ab agente emanat in patiens,

In quo ſubjectetur actio.

tiens, ſic includit aliquid abſolutum. Unde Capreolus ubi ſuprà: *Actio*, (inquit) *& paſſio non dicunt purum reſpectum, ſed abſolutum cum reſpectu.* Et Toletus q. 1. actione & paſſione: *Non ergò ſimpliciter actio eſt relatio, ſed forma fluens, quamvis aliquid relationis habeat:* qui proinde definitionem actionis explicans dicit: *Erit igitur actio actus ſeu forma fluens ab aliquo procedens & in aliud fluens.* Ubi clarè inſinuat illa duo quæ nomine actionis importari diximus. *Objicies* 1. S. Thomas dicit actionem tranſeuntem eſſe perfectionem facti non facientis ergò dum cauſa ſecunda agit nihil perfectionis novæ eſt in illa, nec actio, nec quicquam aliud. *Reſp. negando conſeq.* quia actio tranſiens ab eo vocatur & eſt perfectio facti & non facientis, quia ſecundum ſuum terminum recipitur in paſſo non in agente: & hoc, ad diſtinctionem actionis immanentis quę ſecundum ſuum terminum manet in eo à quo producitur. Cum his autem benè conſiſtit quod actio tranſiens ſit etiam aliqualis perfectio agentis, ſcilicet ſecundum illud formale ſecundum quod ipſa dicitur eſſe ſubjectivè in agente. Neque verò hæc aliena ſunt à mente noſtri Doctoris Angelici, ipſe enim teſte Capreolo ubi ſuprà aliquandò invenitur dicere quod actio eſt ſubjectivè in agente, non quidem quantum ad illud quod dicit in recto, ſed quantum ad relationem & fluxum quem dicit in obliquo.

Dicit

Dicit autem hoc S. Thomas libro 2. contra Gent. capite 9. his verbis: *Actio quæ non eſt ſubſtantia agentis, ineſt ei ſicut accidens ſubjecto.* Et ne putetur loqui de ſola actione immanente, notandum eſt quod loquatur generaliter de omni actione quæ non eſt ſubſtantia agentis, quodque ſubjungat: *Unde & actio inter 9. prædicamenta accidentis computatur.* Et eodem libro capite 35. dicit non poſſe eſſe actionem novam in agente, niſi aliquo modo moveatur, ſaltem de ocio in actum: quæſt. 4. de verit. art. 2. diſertis verbis ait, (quòd *operatio eſt perfectio operantis*: quæſt. 7. de potentia art. 9. ad 7.) *Actio in quantum actio conſideratur ut ab agente: in quantum verò eſt accidens conſideratur ut in ſubjecto agente.* Sed apertiſſimè loquitur art. decimo ſequenti ad 1. dicens quòd *mouens & agens naturale mouet & agit actione vel motu medio, quæ eſt inter mouens & motum, agens & paſſum. Unde oportet quod ſaltem in hoc medio conueniant agens & patiens, mouens & motum: & ſic agens in quantum eſt agens non eſt extraneum à genere patientis in quantum eſt patiens. Unde utriuſque eſt realis ordo unius ad alterum, & præcipuè cum ipſa actio media ſit quædam perfectio propria agentis.* Non abſimilia habet q. de providentia art. 8. ad 13. Ubi etiam clarè dicit operationem eſſe mediam inter operantem & operatum: de qua verò operatione hoc intelligat, exprimit 1. p. q. 54. art. 1. ad 3. ubi ſic loquitur.

Actio eſt quædã perfectio agentis.

Actio eſt media inter agẽs & patiens.

Actio quæ tranſit in aliquid intrinſecum eſt realiter media inter agens & ſubjectum recipiens actionem, ſed actio quæ manet in agente non eſt realiter medium inter agens & objectum, ſed ſecundum modum ſignificandi tantum.

ARTICULUS III.

EX his manifeſtum eſt cauſam creatam non fieri activam niſi cum aliqua ſui mutatione. Cum enim de non agente fit agens, cum perfectionem aliquam recipit, cum à Deo movetur ut agat: certum eſt hoc ſine omni ejus mutatione non fieri: & probare poſſumus ex aliquot B. Thomæ locis. Libro ſecundo contra Gent. capite 35. *Non poteſt eſſe*, inquit, *quod in agente ſit noua actio niſi aliquo modo moueatur ſaltem de ocio in actum.* Et quæſt. 3. de creatione art. 17. cum ſibi objeciſſet argumento 12. hanc propoſitionem: Omne agens quod de novo incipit agere movetur de potentia in actum., reſpondet *quod ratio illa procedit de agente quod incipit agere actione nouâ*, qualis non eſt Dei actio quæ eſt æterna, cum ſit ſua ſubſtantia. Rurſum quæſt. 6. de malo art. unico ad 17. *Voluntas quando de nouo incipit eligere, tranſmutatur à ſua priori diſpoſitione quantum ad hoc quod prius erat eligens in potentia, & poſteà fit eligens actu, & hæc quidem tranſmutatio eſt ab aliquo mouente, in quantum ipſa voluntas mouet ſeipſam ad agendum, & in quantum etiam mouetur ab aliquo exteriori agente,*

Agens noua actione mutatur.

gente, ſcilicet Deo: & in 2. d. 1. q. 1. art. 5. dicit *quod duplex eſt agens: quoddam per neceſſitatem naturæ: & iſtud determinatur ad actionem per illud quod eſt in natura eius: unde impoſſibile eſt quod incipiat agere niſi per hoc quod educitur de potentia in actum, vel eſſentiali, vel accidentali. Aliud eſt agens per voluntatem; & in hoc diſtinguendum eſt, quod quoddam agit actione mediâ quæ non eſt eſſentia ipſius operantis, & in talibus non poteſt ſequi effectus nouus ſine noua actione, & nouitas actionis facit aliquam mutationem in agente prout eſt exiens de ocio in actum, ut in 2. de anima dicitur; quoddam verò ſine actione media,* &c. quod propterea non exit de potentia in actum. Magiſtro autem ſuo valde conformis eſt Capreolus in 2. d. 1. dicens quod *nouitas actionis facit aliquam mutationem in agente prout eſt exiens de potentia in actum ut dicitur in 2. de anima,* &c. cap. 4. ubi Philoſophus aſſerit fabrum ex ocio mutari ad operandum. Sed & ante illos ſimilia docuit Alex. Alenſis 1. p. q. 4. m. 1. Ex quibus ſequitur cauſam creatam dum è non agente fit agens aliqualiter mutari: quià tamen mutatio quæ ab agente incipit non ibi manet, ſed recipitur in patiens, ideò *non eſt motus ſecundùm actionem niſi metaphoricè & impropriè, ſicut exiens de ocio in actum mutari dicimus* inquit B. Th. q. 7. de pot. art. 8. motus enim quo movetur agens in eo quidem eſt ſubjectivè quo ad fluxum, ordinem, & originem, ſed non niſi per modum virtutis tranſeuntis ab

Nouitas actionis facit mutationem in agente.

uno in aliud : in paſſo autem eſt completivè & ſecundum ſuum terminum, quod propriè mutari dicitur.

ARTICULUS IV.

COntrà jam dicta nobis opponuntur duo ; primum, inſtrumentum recipit formam ſeu qualitatem à cauſa principali, ſed cauſæ ſecundæ dicuntur inſtrumenta Dei, ergo recipiunt formam quæ ab actione realiter diſtinguitur. 2. B. Tho. q. 3. de pot. art. 7. expreſsè docet cauſam creatam debere recipere virtutem intentionalem, quę non minus differt ab actione quàm ſpecies coloris ab objecto. *Sed R. ad* 1. negando majorem: nam teſte B. Thoma q. de unione verbi art. 5. ad 12. *Agens non ſemper dat inſtrumento nouam formam vel virtutem quieſcentem in ipſo : & tamen inſtrumentum in quantum mouetur ab agente conſequitur quandam intentionalem virtutem* (ſeu efficaciam) *per influxum agentis, qui per inſtrumentum recipitur in efficientem* (legendum potius in effectum, ut patet ex diſcurſu.) *Ad* 2. *R. B.* Thomam ibi dicere quod cauſa ſecunda ut agat, debeat recipere à Deo non qualitatem aliquam aut formam, ſed vim & efficaciam quâ agit ad eſſe ut inſtrumentum. Eam autem comparat ſpeciebus coloris, non in eo quod taliter differre debeat ab actione, qualiter differunt ſpecies à colore, ſed in eo quod ſicut ſpecies ſunt tranſeunter in aëre, habentque eſ-

eſſe incompletum: ſic virtus illa ſeu vis & efficacia eſt in cauſa ſecunda & in inſtrumento tranſeunter habens in illo eſſe quoddam incompletum & imperfectum, cum tamen in paſſo habeat ſuum eſſe completum: tranſit enim de agente in patiens, neque aliud eſt quàm virtus inſtrumentalis. *Virtus autem inſtrumentalis*, ait B. Th. 3. p. q. 62. art. 4. *habet eſſe tranſiens ex uno in aliud & incompletum, ſicut & motus eſt actus imperfectus ab agente in patiens.* Eodem modo loquitur q. 27. de verit. art. 4. in corp. & ad 4. Dicendum eſt ergò ex B. Thomæ ſententia quod ſicut inſtrumentum non ſemper accipit formam aut qualitatem ab agente, ſed ſolum motum: ità cauſa ſecunda dum à Deo movetur, non recipit aliud quàm hoc (agere) quod in ea eſt per modum motionis habentis ibi eſſe incompletum, & tranſeuntis ab uno in aliud .i. à cauſa agente in patiens: & dum dicit recipi virtutem ab inſtrumento, non ſumit virtutem pro qualitate, ſed pro vi & efficacia, ut patet ex q. 3. de pot. art. 7. in corp. ubi dicit dolabram eſſe cauſam rei artificiatæ *per virtutem* (i. efficaciam) *artificis à quo movetur.* Unde & in reſponſione ad 7. illam virtutem, vim appellat: Illam autem vim non aliud intelligit quàm motionem, nam cum dixiſſet rei artificiali & naturali non potuiſſe conferri vim quâ agit ad eſſe ut inſtrumentum artificis & primæ cauſæ, ſubjungit quod *ſicut*

Inſtrumentum aliquã do recipit ſolũ motum.

in-

inſtrumento artificis conferri non potuit quod operaretur abſque motu artis, ità rei naturali conferri non potuit quod operaretur abſque operatione divina. Ubi loco virtutis, motum & operationem nominavit. Deinde quod nec inſtrumentum ab artifice accipiat aliud quàm motum, nec cauſa ſecunda aliud à Deo quàm motionem, ex aliis ejuſdem B. Thomæ locis probare non eſt difficile. L. 3. contrà Gent. cap. 70. *Artifex applicat inſtrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdum formam non dat per quam agit inſtrumentum, ſed dat ei ſolum motum.* Quæſt. 22. de verit. art. 8. docet quod Deus *immutat voluntatem dupliciter. uno modo mouendo tantum, quando ſcilicet voluntatem mouet ad aliquid volendum ſine hoc quod aliquam formam imprimat voluntati ſicut ſine appoſitione alicujus habitûs quandoque facit ut homo velit hoc quod prius non volebat: alio modo imprimendo aliquam formam in ipſam voluntatem*, &c. Ecce prior ille modus noſtro propoſito deſervit, qui dicimus Deum actualiter movere voluntatem aliámve cauſam ſecundam ſine hoc quod ei formam aut qualitatem imprimat. Quid ergò eſt quod Deus facit in cauſa movendo eam? Jam ante diximus eſſe motum: unde idem S. Thomas 1. 2. q. 110. art. 2. dicit quod Deus adjuvat hominem *uno modo in quantum anima hominis mouetur à Deo ad aliquid cognoſcendum vel volendum vel agendum, & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed*

Deus mouet volūtatem non imprimendo illi formā, ſed motum.

ſed motus quidam animæ, actus enim mouentis in moto eſt motus, uti dicitur in 3. Phyſic. Ita etiam docet Latomus in reſp. ad Luth. cap. 3. & Driedo ut patet ex fine ſecundæ partis. Si quæras an motus ille quem recipit cauſa ſecunda quando movetur à Deo, ſit alius ab ejus operatione. Reſponſio patet ex dictis, ubi diximus non eſſe ab actione realiter diſtinctum: quod probatur, quià voluntas recipit motum, & tamen non recipit aliud quàm ſuam propriam inclinationem quæ eſt ſuum velle, ut patet ex 1. parte quæſtione 105. articulo 4. ad 1. ubi dicitur quod *Deus mouendo voluntatem dat ei ejus propriam inclinationem*; & ex quæſtione 82. articulo 1. & 1. 2. quæſtione 6. articulo 4. ubi dicitur quod *inclinatio illa non eſt aliud quàm velle.* Sicut ergò Deus movendo voluntatem dat ei ſuam operationem, ita movendo quamlibet aliam cauſam dat ei operari actu ſuum effectum, & dat ei ſuam actionem. Unde ſuprà ex Alberto. & Pariſienſ. docuimus cauſam ſecundam nullam habere actionem quam non accipiat à Deo. Juxtà hunc modum R. P. Azorius ſententiam de præmotione Dei explicavit lib. 1. inſtitutionum moralium capite 21. quæſtione 8. dicens: *Cum creatus eſt ignis, datum eſt illi quo poſſet urere: deinde cum urit, vult & facit Deus ut urat; nullam virtutem denuò recipit* (ſcilicet permanentem) *quâ poſſit, nihilominus*

minus non vrit niſi Deo (nota) *ante volente ut vrat; & motum excipit quo vrat, & præcedit Dei voluntas ut vrat: quare cum vrit, hoc habet quoniam Deus vult, & volendo facit ut ignis vrat. Ignis igitur immotus vrit, quia nullam vim denuò aut virtutem excipit quâ poſſit, ſed nihilominus vrit, & hoc ipſum quod vrit, & vrendo efficit, habet, quià Deus vult ut vrat & faciat. Sed nunquid quando ignis vrit, mouet eum Deus ad vrendum; Mouet quidem, non quia vim, virtutem formamue denuò imprimat; ſed motionem quâ Deus mouet & ignis mouetur. Quid eſt, dices, ignem ad vrendum moueri? Reſpondeo nihil aliud eſſe niſi Deum uti igne ad vrendum, &c. Sed quid eſt Deum igne uti, vel ignem adhibere ad vrendum? Reſp. Deum uti igne ad vrendum eſt ignem mouere ad vrendum, quia vult ut vrat, & volendo motionem in igne imprimit, quâ unà cum Deo vrit ignis motus ab ipſo Deo ad vrendum. Cauſæ igitur ſecundæ à Deo ipſo mouentur & applicantur ad ſuas functiones & opera, quoniam Deus in ipſis motionem imprimit, & ideò mouendo facit ut cauſa ſecunda faciat, quoniam vult, decernit, ac mouet ut faciat: & hoc eſt quod dixit S. Thomas mouet & applicat cauſas ſecundas ad agendum.* Neque verò tam longè ab hac explicatione recedit Mariana, quàm ii qui concurſum ſimultaneum aſtruunt. Nam lib. 3. de morte & immortalitate cap 7. querens an auxilium Dei ſit in cauſa proximâ, qualitas, an actio? Reſpondet ipſam actionem videndi in homine,

Deus imprimit igni motionem.

calefaciendi in igne ut procedit à cauſa proxima iis nominibus vocari ; ut à Deo adjuvante eandem eſſe auxilium opemque divinam : & capite 8. ſuppreſſo concurſus in ſolum effectum nomine , mediam viam eligit dicitque actionem bonam , quâ ratione à nobis proficiſcitur, eſſe volitionem & conſenſum ; quâ à Deo adjuvante , divinum auxilium & gratiam.

ARTICULUS V.

EX his patet retinendam eſſe B. Thomæ & aliorum Doctorum ſimilitudinem quâ cauſæ ſecundæ comparantur ad Deum ſicut inſtrumentum ad agens principale. An autem comparari poſſint potentiis animæ, quibus anima tanquam inſtrumentis utitur, non eſt magnopere diſputandum, quia etiam modus operandi animæ nobis eſt obſcuriſſimus, ut liquet ex Auguſt. libro 8. de Geneſi ad litteram capite 21. præſertim cum teſte B. Thoma in 2. d. 26. quæſtione 1. articulo 1. ad 5. anima quodammodò ſimiliter ſe habeat ad corpus ut Deus ad animam, & quodammodò diſſimiliter, quia ſcilicet ut loquitur libro 3. contra Gent. capite 99. *Uniuerſa creatura magis eſt Deo ſubdita quàm corpus humanum ſit ſubditum animæ ejus*, ac etiam quam potentiæ ſint ſubditæ animæ. Si tamen ea comparatio-

ne quis velit uti, non propterea dicere debet Deum ſimul naturâ operari & in ſolum effectum concurrere. Nam & potentiæ ſunt inſtrumenta animæ, & anima tanquam cauſa ſuperior & principalis ſuis potentiis utitur ut inſtrumentis. Undè B. Thom. 1. parte quæſtione 77. articulo 1. ad 3. docet potentiam animæ ita ſe habere ad animam ſicut calor ſe habet ad formam ignis, qui calore tanquam inſtrumento calefacit. Et in. reſponſione ad 4. docet ex Philoſopho animam eſſe id quo primò intelligimus & ſentimus. Atque hæc de modo explicandi B. Thomæ ſententiam pro tempore dicta ſint. Si quis opinetur quòd non ſatis acuratè eum explicuerimus, *in pluribus Dei non ſit curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominis*
Eccl. 3. *oſtenſa ſunt tibi*, ait Sapiens Eccleſiaſtici 3. ſciatque quòd, licet in modo explicandi fortè diſſentiamus ab aliquibus, in concluſione tamen & fundamentalibus rationibus conveniamus. Nota auctorem mutaſſe ſententiam & diſtinguere realiter motionem Dei efficacem ab actione creaturæ ſicut alii Thomiſtæ 1. 2. quo articulo 2. conc. 1. & quæſtione 111. articulo 2. quæſ.

PAR-

PARTIS QUARTÆ.

ARTICULUS I.

SUpereſt nunc argumenta ſolvere, quorum primum petitur ex ſcriptura, 2. ex diverſis authoritatibus, 3. ex ratione liberi arbit. 4. ex cauſa peccati.

Objicies 1. Si Deus determinaret phyſicè, ſemper ſequeretur effectus quem Deus vult: ſed ille non ſemper ſequitur, ergo &c. Minor probatur quia aliquando Deus vult, & voluntas non vult, ut Matth. 23. *quoties volui congregare* &c. & *noluiſti.* *Matth. 23.*
Reſp. neg. minorem cum ſua probatione; inde enim ſequeretur quod Dei voluntas ſuperata ſit hominum voluntate, quod ex ſcriptura improbat S. Auguſt. Enchiridii cap. 97. Dicimus ergo quod *carnalis Hieruſalem filios ſuos à Chriſto colligi noluit ſed ea quoque nolente filios ejus collegit ipſe quos voluit*, ut docet Auguſtin. ibidem, & epiſt. 106.

Objicies 2. Act. 7. Judæi dicuntur Spiritui S. reſiſtere, ergo Deus non prædeterminat phyſicè, ſic ut ſemper ſequatur effectus. *Reſp. neg. conſequentiam*, quia non ſignificatur ibi quod Judæi gratiæ ſeu Deo intrinſecus moventi ſic reſtiterint ut effectum gratiæ & motionis divinæ impedirent, ſed ſignificatur quod Prophetis quos *Act. 7.*

Spiri-

Spiritus ſanctus mittebat, & per quos ipſe loquebatur, reſtiterint partim occidendo, partim prædicationes eorum impediendo.

1. Tim. 2. *Object.* 3. 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ergo hoc vult voluntate indifferente & parata ad concurrendum, ſi ipſi velint. *Probatur conſequentia*, quia notum eſt quod non omnes ſalvantur; ac proinde non determinantur. *Reſp. neg. conſeq.* quia ſenſus ſcripturæ non eſt quod Deus abſoluta voluntate ſua velit omnes omninò ſalvari: ſi enim ſic vellet, faceret; ſed ſenſus eſt, quod vult quia nos facit hoc velle ſicut Spiritus S. dicitur clamans Rom. 8. Abba Pater, quia facit nos clamare. Ita Auguſt. lib. de corrept. & gratia capite 15. Alias expoſitiones ejuſdem loci videre eſt epiſt. 107. & Ench. cap. 103. ſed jam allata optimè quadrat.

Rom. 8.

Object. 4. Monemur in ſcriptura ut convertamur ad Deum & tunc Deus convertetur ad nos; ergò Deus non præmovet, ſed potius concomitatur. *Ant. probatur* ex Zachariæ 1. *convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: Et ex Proverb. 16. *Hominis eſt præparare animam, & Domini gubernare linguam.* Hæc objectio non eſt tam contrà præmotiones de quibus loquimur, quàm contra gratiam prævenientem. *Ad eam reſp.* quod ſicut dicitur nobis à Deo convertimini ad me, & ego convertar ad vos: ita nos

Zac. 1. Pro. 16.

viciſſim

viciſſim Deo reſpondemus: *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur:* Item, *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam.* Et ſicut Pſalm. 80. dicitur, *aperi os tuum, & implebo illud*: Ita Pſalm. 50. dicimus, *Domine labia mea aperies*; Ita ſcilicet ut prioribus illis, libertatis noſtræ admoneamur, poſterioribus autem Dei nos gratiâ præveniri confiteamur, ut pulchrè declarat Synodus Trid. ſſ. 6. cap. 5. Sed petes, quomodò dicitur nobis aperi, ſi ipſe eſt qui aperit? *Reſp.* cum Auguſt. lib. 2. contra 2. Epiſtolas Pelag. cap. 9. quia *licet niſi adjuuante illo, ſine quo nihil poſſumus facere, os non poſſumus aperire, tamen nos aperimus illius adjumento, & opere noſtro: implet autem illud Deus ſine opere noſtro.* Et ſimiliter etiam eſt intelligendum illud Proverb. 16. hominis eſt præparare, &c. quià ſcilicet juxtà eundem Aug. *homo præparat cor, non tamen ſine adjutorio Dei qui tangit cor.* Quià ergo liberi ſumus, & liberè convertimur, ideò nobis dicitur convertimini: ſed quià converti non poſſumus niſi Deo præveniente & converſionem noſtram prius natura operante, ideò rogamus ut ipſe nos convertat, faciatque quod jubet. Cum autem gratia ejus præventi fecerimus illud (convertimini) tunc faciet quod ſubjungit (convertar) ſcilicet per dona ampliora, per gratiam diffuſam in cordibus, per charitatem & charitatis augmentum. Adjuvat enim

Pſalm. 80. 50.

Quomodò præcipitur ut conuertamur.

enim bonum propoſitum, ſed nec ipſum eſſet niſi præcederet gratia: ſtudium quoque hominis quod dicitur bonum, quamvis cum eſſe cœperit adjuvetur gratiâ non tamen incipit ſine gratia. Nec *omninò incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, niſi hoc in illo agat indebita & gratuita miſericordia Dei*, ait Aug. l. 2. contrà 2. epiſt. Pelag. cap. 10. concludens *nihil in ſcripturis ſacris homini à Domino juberi quod non inueniatur vel dari ab ejus bonitate, vel poſci propter adjutorium gratiæ demonſtrandum*: quod ipſum pulchrè etiam declarat epiſt. 95. Eſt ergo regula generalis, omne quod à Deo nobis jubetur, poſſe impleri, ſed tamen non niſi dante, incipiente, & præcurrente illo qui præcepit: ac proinde verè dicitur nos poſſe illud quod pendet ex hypotheſi quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſicut poſſumus mandata implere, quæ tamen impletio pendet ex gratia Dei quæ non eſt in noſtra poteſtate.

Omne præceptum poteſt impleri, ſed non ſine gratia.

ARTICULUS II.

Circa argumentum 2. *Ob.* 1. Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. dicit liberum arbitrium à Deo motum & excitatum poſſe conſentire & reſiſtere ſi velit, & poſſe motionem abjicere: manifeſtumque eſt quod loquatur in ſenſu compoſito, quia nihil abjicitur niſi habeatur. Et confirmatur; quia loquitur contrà hæreticos: illi au-

autem dicebant hominem non poſſe diſſentire Deo vocanti in ſenſu compoſito, ergò in eodem ſenſu intelligenda eſt definitio Concilii. Minor prob. quia nimis evidens eſt hominem poſſe diſſentire in ſenſu diviſo .i. ſi non moveatur. *R.* quod Concilium manifeſtè adverſetur iis à quibus hæc objiciuntur, 1. quia ponit Deum ſic præveniſre ut maneat libertas, quod ſignificat præventionem Dei non magis tollere libertatem quam concurſum. 2. quia dicit liberum arb. à Deo moveri, & cor tangi, ergò ex mente Conc. Deus non concurrit in ſolum effectum, ſed etiam in cauſam ut eam moveat, faciatque illam agere. 3. quia Concilium dicit quod liberum arb. à Deo motum non habeat ſe merè paſſivè: ſi autem Concilium ſentiret liberum arb. non propriè moveri á Deo realiter tangente ipſum, deberet ſimpliciter negare quod habeat ſe paſſivè, non autem ſolum quòd merè paſſiuè: per hoc enim quod dicit non habere ſe merè paſſivè ſignificat quod non habeat ſe prorſus paſſive, ſic ut nihil agat, ſed partim paſſivè partim activè, quatenus ſic patitur ut etiam agat, quemadmodùm ex B. Thoma ſæpè diximus. Præterea eſt obſervandum quod Patres Conc. Trident. memores ſcripturæ dicentis Deo, nemo eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati, voluntati ejus quis reſiſtit, omnia quæcunque voluit fecit: memores item verborum

Prævætio non tollit libertatē.

S. Auguſtini ſcribentis Ench. cap. 95. effe-ctum voluntatis Dei non poſſe impediri per voluntatem creaturæ, & dicentis lib. de prædeſt. SS. cap. 8. gratiam à nullo duro corde reſpui: non dixerunt id quod in argumento ſumitur, liberum arb. poſſe reſiſtere Deo, neque fieri poteſt ut Deo moventi ſic reſiſtat homo, ut non ſequatur effectus à Deo intentus. Quia tamen Concilium dicit liberum arb. poſſe abjicere inſpirationem & diſſentire Deo vocanti ſi velit. *Reſp.* 1. Concilium rectè intelligi de gratiâ inſpirante quâ inſpirantur bona deſideria, & bonæ cogitationes: & de ea ſic verum eſt quod homo poſſit illam abjicere ut aliquando de facto eam abjiciat, juxta *Prou.* 1. illud vocavi & renuiſtis. Neque hoc eſt contrà ſententiam dicentium quod omnis gratia ſit efficax ad illum effectum ad quem proximè ordinatur, quia gratia talis vocationis & inſpirationis eſt per ſolas ſuaſiones quæ poſſunt de facto reſpui, non autem per phyſicam motionem quæ nunquam abjicitur. *Reſp.* 2. Concilium etiam rectè intelligi de gratia phyſicè movente voluntatem: de ea enim verum eſt quod homo poſſit per voluntatis ſuæ flexibilitatẽ illam abjicere & illi diſſentire, licet non poſſit hujus flexibilitatis ad illud alterum oppoſitum eventus ſimul ſtare cum noſtro velle & eligere. Igitur poteſt diſſentire in ſenſu diviſo, non in compoſito: & quod hæc ſolutio

ſolutio ſit ex mente Concilii prob. quià c. illo 5. ponit ab homine recipi inſpirationem quam dicit poſſe abjici, & tamen evidens eſt fieri non poſſe ut illa ſimul & recipiatur & abjiciatur; ergò quando dicit illam inſpirationem, quæ recipitur, poſſe abjici, debet intelligi in ſenſu diviſo: quis autem ille ſit, dicetur art. 3.

Ob. 2. Auguſt. lib. de ſpiritu & litera cap.21. dicit quod omnis poteſtas ſit à Deo, non autem omnis voluntas. 2. lib. 7. de Civit. Dei cap. 30. ſic aſſerit Deum condidiſſe creaturas ut eas proprios motus agere ſinat. 3. lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. cauſam adferens cur ex duobus æqualiter animo & corpore affectis & æquè invitatis ab eodem objecto, alter moveatur ad malum, alter in bono ſtabilis perſeveret, refert illam in lib. arb. non autem in prædeterminationem uni conceſſam, alteri negatam: ergò non eam agnovit: ſi enim agnoviſſet, hic erat locus de ea loquendi. 4. ſerm. 13. de verb. Apoſtoli homini dicit, ſi non eſſes operator, Deus non eſſet coöperator, ergò non admiſit Deum eſſe cauſam cur homo operetur ſed potius contrarium hîc ſignificavit. Quod Auguſt. præventionem agnoverit, & in omni opere priores Deo partes tribuerit, partim ſupr. diximus, partim aliunde notum eſt. *Ad primum ergò locum* ℞. legendam eſſe in Auguſt. rationem quæ ſequitur, ob quam dicit non omnem volun-

tatem eſſe à Deo: ſequitur enim quod malâ voluntas non ſit à Deo, & ideo non omnis; de malâ autem voluntate quod à Deo ſit, nullus Catholicus dicit: ſolum enim nos dicimus omnem effectum realem eſſe primò & principaliter à Deo. Jam verò ex eodem loco ſic argumentor: Illi probant Deum non prædeterminare phyſicè voluntatem omnem, quià teſte Auguſt. non omnis voluntas eſt à Deo, ergò dicendum eſt Deum prædeterminare omnem bonam voluntatem, quià teſte eodem, omnis bona voluntas eſt à Deo, ergo prædeterminatio libertatem non tollit. *Ad ſecundum R.* ſic Deum ſinere unamquamque rem agere ſuos motus, ut eaſdem ipſe moveat & operari faciat. Ibi enim Auguſtinus ſolum intendit docere quod Deus non impediat ſecundarum cauſarum efficientiam, quod eſt veriſſimum & noſtræ doctrinæ conformiſſimum. *Ad tertium. R.* Aug. ibi non quærere cauſam voluntatis bonæ, ſed ſolum cauſam voluntatis malæ in eo qui peccat: ſic enim ibi loquitur. *Si aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore videant unius corporis pulchritudinem, quâ viſâ unus eorum ad illicitè fruendum moveatur, alter in voluntate pudicâ ſtabilis perſeueret, quid putamus eſſe cauſæ ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?* & poſtea: *Hanc conſenſionem, hanc malam quam malè ſuadenti adhibuit voluntatem, quæ in eo res fecerit, quærimus.* Ad quam quæſtionem

De duobus æqualiter animo & corpore affectis.

nem optimè reſpondet ipſum hominem ſibi feciſſe malam voluntatem, cauſamque malæ voluntatis refert in liberum arb. defectibile: nec enim locus erat aliquid reſpondere de præmotione Dei efficaci, cum ſicut Deus non eſt author voluntatis malæ, ita nec ad malè volendum moveat, multo minus præmoveat, quià motio & præmotio Dei eſt cauſa efficiens, malæ autem voluntatis non poteſt aſſignari cauſa efficiens, ut cap. ſequenti docet. Neque etiam reſpondere poterat eum qui perſeveravit fuiſſe ad perſeverandum motum & determinatum à Deo, quià motio illius eſt impertinens ad caſum alterius, licet magna ſit materia gratiarum actionis in illo quem non libera voluntas, ſed gratiæ Dei efficacia ſtare fecit ut proindè meritò illi proponatur illud Apoſtolicum, *quis te diſcernit quid enim habes quod non accepiſti*, &c. quia ſine dubio licet æqualiter affecti ponantur in tempore prævio, plus tamen auxilii accepit ſtans quàm cadens, ſicut plus eſt actu perſeverare, quàm poſſe. Plura de his vide apud Baneſium 1.p.q.3.art.3. & 22.q. 10. art. 1. qui ſolidè docet unum eorum non poſſe ſtare & alterum peccare, quamdiu ſtat in illis æquale auxilium, ne contrà authoritatem Apoſtoli unus glorietur adverſus alterum, quod cum non plus acceperit quàm ipſe, ſeipſum tamen, alio pereunte, ſalvaverit. *Ad quartum* R. quod Aug. ibidem præ-

1.Cor 4.

præmittit neminem adjuvari ſi ab illo nihil agitur; ac proindè ex toto contextu liquet hunc eſſe verborum ipſius ſenſum, ſi tu nihil ageres, ſi tu haberes te ſolùm paſſivè, Deus non eſſet, nec vocaretur tuus coöperator, quià nemo dicitur coöperari niſi illi qui etiam operatur.

*Ob.*3.Locus Hilarii in Pſ.2.& Clem.Rom. epiſt. 3. Verum ibi nihil eſt contra præmotionem. Hilarii verba ſunt hæc: *Unicuique noſtrum libertatem vitæ ſenſumque permiſit, non in neceſſitate alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum malumue eſſe lex cogeret.* Quibus non aliud ſignificatur quàm hominem ſic eſſe lib.arb.ut illud non ſit ex natura ſua determinatum ad unum,quod verum eſt,ſed cùm eo non pugnat poſſe ad exercitium determinari.Clementis autē hęc ſunt verba: *Si quis ſanè audiens ſermonem veri Prophetæ velit recipere aut nolit, & amplecti onus ejus .i. mandata vitæ, habet in ſua poteſtate: liberi enim ſumus arbitrii nam ſi hoc eſſet, ut audientes eum jam non haberent in poteſtate aliud facere quàm audierant, vis erat quædam naturæ per quàm liberum non eſſet ad aliam migrare ſententiam, &c.* Ubi ſolum ſignificat hominem eſſe liberi arbitrii & poſſe (non tamen ſine gratia eum prævenienté) evangelio audito conſenſum adhibere, nullam autem eſſe vim interiorem qua liberum arb. ſit naturali neceſſitate adſtrictum ad credendum, vel non credendum.

Ob.

Object. 4. Opponitur etiam Henricus à Gandavo: ſed cum ille S. Thomæ doctrinam pro magna parte impugnet, doceatque contra S. Anſelmum nominatim ab eo citatum primam voluntatis motionem non eſſe à Deo, quod etiam eſt manifeſtè contra S. Auguſt. Thom. Bonav. & alios, non eſt quod in ejus verbis recenſendis immoremur: præſertim cum & alia plura habeat inopinabilia, ut quod Deus non facit volentes ex nolentibus quià alioquin nec actus eſſent laudabiles nec virtuoſi: quaſi verò non legerit in Auguſt. lib. de prædeſt. SS. cap. 8. & alibi: *Si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Eccleſia ſecundum præceptum Domini pro perſecutoribus*: & in ſcriptura Deus operatur in nobis velle. Marſilius qui ſolet etiam adferri non multum urget, quià ſolum vult dicere nullam eſſe cauſam ejuſdem ordinis, quæ voluntatem determinet, præter ipſam voluntatem.

Ob. 5. De Gabriële & Durando non eſt multùm laborandum; quamvis enim prior quædam habeat pro determinatione, quædam pro concurſu, neutrum tamen firmiter aſſeruit: nam in 4. d. 1. quæſt. 1. docuit cauſas ſecundas non verè cauſare, ſed ſolum quatenus ad nudam rei præſentiam alia res incipit eſſe; verba ejus ſunt: *Unam rem cauſare aliam nihil eſt aliud niſi ad præſentiam unius rei aliam rem produci vel eſſe, ut ignem cauſare calorem in aquâ nihil aliud eſt*

quàm ad præſentiam ignis calorem ineſſe aquæ, &c. & mox. *Si Deus determinaret ſe quod ab hac die ad prolationem alicujus verbi à quocunque prolati velit dare pluviam, verbum illud jam prolatum ità propriè eſſet cauſa pluviæ ad ejus prolationem cauſatæ, ſicut calor eſt cauſa caloris.* Similiter ex alia parte graviter impegit Durandus dum in 2. d. 1. quæſt. 5. negavit Deum omnia operari immediatè, aſſerens eum ſolum eatenus operari, quatenus cauſis ſecundis virtutem activam dedit, eamque conſervat.

Ob. 6. B. Thom. in 2. d. 25. quæſt. 1. art. 3. dicit quod determinatio actionis ſit in poteſtate liberi arb. Diſt. 34. art. 3. quæſt. 1. voluntas non eſt determinata, ſed ipſa determinat ſeipſam. Diſt. 35. quæſt. 1. art. 3. voluntas non eſt determinata ad aliquid. Diſt. 39. quæſt. 1. art. 2. Non determinatur ad aliquid niſi ex ſeipſa, ergò non ſentit quod determinetur à Deo. *Reſp. neg. Conſeq.* Ad 1. dico quod determinatio eſt in poteſtate voluntatis, quatenus ipſa habet dominium ſui actus, poteſtque ſeipſam determinare: ſed ibidem adjungit, quod non ſit in ejus poteſtate, ſicut convenit primo agenti, quià ſcilicet non poteſt ſe determinare niſi ſub Deo eam determinante: Et hinc eſt quod ſup. diximus prædeterminationem Dei non eſſe in poteſtate voluntatis, quià licet determinatio Dei & voluntatis ſit una numero actio, quatenus tamen

Quomodò determinatio ſit in poteſtate voluntatis.

tamen à Deo proficiſcitur, ſic non eſt in poteſtate voluntatis, quamvis eadem conſiderata ut à voluntate procedens, recte dicatur eſſe in ejus poteſtate. Ex quibus recte colliges voluntatem ſic eſſe dominam ſui actus, ut tamen non habeat pleniſſimam illius poteſtatem, qualem habet is qui à nullo dependet, Deus. *Ad* 2. & 3. *R.* quod quandò dicitur voluntatem non eſſe determinatam, vel non determinari, ſemper eſt intelligendum, quod non ſit ſecundum ſe determinata, nec ſecundum ſe determinetur. Ad ultimum dico quod non niſi à ſeipſa determinetur, quia à nulla cauſa ejuſdem ordinis.

Ob. 7. libro 3. contrà Gent. capite 102. dicit quod oportet eſſe aliquod agens proprium per quod determinetur impreſſio univerſalis virtutis ad determinatum effectum, ergò concurſus Dei qui eſt virtus univerſalis potius determinatur quam determinet. *Reſp. neg. conſeq.* quià ſermo eſt in antecedente de virtute univerſali creatæ: ſequitur enim in fine cap. quod Dei virtus cum ſit infinita, non determinatur ad aliquem ſpecialem effectum.

Ob. 8. lib. 3. contrà Gent. cap. 66. vocat ſecunda agentia quaſi particulantia & determinantia actionem primi agentis: & quæſtione de providentiâ articulo 9. ad 10. Actus cauſæ primæ quodammodò determinatur per ſecundam ad hunc effectum:

&

& lib.2.ſent.diſt.1.q.1.art.4.Cauſæ aliæ ſunt quaſi determinantes illud eſſe: ergò cauſæ ſecundæ non determinantur à Deo, ſed potius determinant concurſum Dei. R. *neg. conſeq.* quia vocari poſſunt particulantes & determinantes quatenus Deus illis quaſi mediantibus operatur, & hoc eſſe producit per hanc cauſam particularem, aliud per aliam: vide Ferrar. lib. 3. contra Gent. 2.R.quod ſunt quaſi determinãtes eſſe,quià ſolus Deus peculiariter dat eſſe totum & totaliter (quidquid enim eſt entitatis in compoſito eſt à Deo) cauſæ autem ſecundæ non dant totaliter eſſe, ſicut nec ſunt cauſæ totius entitatis compoſiti, cum ſemper ſupponant materiam quæ à ſolo Deo eſt. Quatenus ergò non producunt eſſe ſecundum ſe totum, ſed ſolum ſecundum formam vel formæ unionem quæ particularis eſt, dicuntur particulantes actionem.i. effectum primi agentis, qui effectus eſt ipſum eſſe quod eſt à Deo ſecundum omnem gradum & omnem entitatem. Hanc explicationem inſinuat in 2. diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. Denique R. quià effectus particularis aſſimilatur cauſis ſecundis particularibus non autem cauſæ primæ, ideò illas vocari particulantes, propter aſſimilationem, non iſtam: hæc reſponſio facilis eſt, & ab eodem inſinuatur in q. de providentia art. 9. ad 10.

*Ob.*9.1.2.q.9.art.ultimo ad 3.docet Deum in

interdum ſpecialiter movere aliquos ad aliquid determinatè volendum quod eſt bonum, ſicut in iis quos movet per gratiam, ergò non ad omnes actus neceſſaria eſt prædeterminatio. *R. neg. conſeq.* quià ſenſus verborum B. Thomæ eſt quod Deus ità movet voluntatem ad univerſale objectum, quod eſt bonum in genere, ut ipſa neceſſario neceſſitate ſpecificationis feratur in bonum, ſed tamen non neceſſario in hoc vel in illud bonum determinatè, quià ſicut reſpectu boni in genere eſt libera quoad exercitium, ità reſpectu bonorum particularium libera eſt & quoad ſpecificationem & quoad exercitium ac proptereà per rationem ſe (ſub Deo tamen 1. determinante) determinat ad volendum hoc vel illud particulare quod vere vel apparenter eſt bonum: ſed tamen interdum Deus ſic movet aliquos ſpecialiter ad aliquid determinate volendum ut velint id quod eſt ſimpliciter bonum, non verò id quod ſolum apparet bonum, & ità fit in his quos Deus movet per gratiam. Similia habes quæſt. 22. de veritate art. 6. ad 5. ubi dicit quod *voluntas vult naturaliter bonum, ſed non determinatè hoc bonum vel illud, ſicut viſus naturaliter videt colorem, ſed non hunc vel illum determinatè.* Ex quibus tantum abeſt ut determinatio Dei tollatur, quin potius ſtabiliatur; nam in iis quos movet per gratiam ſic operatur ut eos moveat ad aliquid *Deus determinat.*

boni

boni determinatè volendum, ergò eos determinat: quid enim eſt determinare niſi facere ut hoc eligatur & non aliud, ergò determinatio non contrariatur libertati. Neque verò hinc habetur quod non omnem hominem determinet, ſed habetur quod non omnem hominem determinate moveat ſeu determinet ad bonum ſalutre, quia hoc ſpecialiter facit in illis quos movet per gratiam.

Ob. 10. B. Thomas pluribus in locis dicit quod voluntas eſt indeterminata, ergò non determinatur à Deo. *Reſp.* potius ſequi quod determinetur, quia ſuprà recitavimus ex B. Thom. quod cauſa quæ eſt contingens debeat determinari. Dicendum ergò eſt quod non pugnent voluntatem ex ſe ſeu ex natura ſua eſſe indeterminatam, & tamen determinari à Deo, ſicuti nec pugnant eam eſſe indeterminatam & determinari à ſe, illud enim eſt naturæ, hoc exercitii. Vocatur autem voluntas indeterminata (ſcilicet ſecundum ſe) ad diſtinctionem agentium naturalium quæ naturaliter ſunt determinata ad unum. Sed eſt ſciendum quod non attenditur iſta differentia in hoc quod quando voluntas agit ſit indeterminata (nam quando exit in actum, debet eſſe ex judicio determinato determinata ad unum) ſed in hoc quod judicium rationis à quo pendet voluntas ſit ex naturâ indeterminatum & indifferens ad

ad multa, adeò ut intellectus poſſit varia proponere voluntati, & voluntas poſſit ex vario judicio varia eligere, judicium autem brutorum quæ naturaliter agunt eſt naturaliter determinatum ad unum, & ideò non poſſunt eligere. Ità ferè explicat B. Thom. quæſt. 24. de verit. art. 2. & 1. p. q. 83. art. 1.

ARTICULUS III.

QUamvis ex ſuperioribus multa ſolui poſſint quæ contra liberum arbit. opponuntur, ſpecialiter tamen hîc examinanda ſunt quæ ſpecialiter objiciuntur. Objicitur ergò primò: Liberum eſt quod poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere & non agere: ſed poſitâ prædeterminatione homo non poteſt agere & non agere, ergo non eſt liber. *Reſp. majorem non eſſe veram*, niſi intelligatur de iis quæ prærequiruntur tempore, non enim eſt neceſſe ut liberum ſit tale, quod & omnia quocunque modo prærequiſita ſint poſita, & tamen fieri poſſit ut de facto non agat; quædam enim ſic naturâ prius requiruntur ut non poſſint ab actu ſejungi. Talis eſt actualis Dei præmotio & determinatio, quæ dum ponitur ità eſt ut voluntas actu operetur, ideoque nihil mirum eſt ſi eâ poſitâ non poſſit non agere ſcilicet in ſenſu compoſito. Prætereà ſi ad rationem libertatis requiritur quod poſitis omnibus ad agendum

gendum prærequiſitis poſſit agere & non agere, ergo neceſſe eſt ut liberum arb. poſitâ quacunque gratiâ adhuc poſſit eſſe bonum vel malum,ac proindè ſi bonum fiat, erit ex ſe & non ex gratiâ,quià non obſtante gratiâ æquè poterit eſſe bonum ac malum, ergo quod potius ſit bonum quàm malum erit ex ſeipſo & non ex gratia, quod eſt impoſſibile. Hinc eſt quod S. Auguſtinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 18. dicat: *Si nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe vel bona vel mala, bona verò voluntas ex nobis eſt, melius eſt id quod à nobis quàm quod ex Deo eſt: quod ſi abſurdiſſimè dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem nos diuinitus adipiſci.* Quæ ſi benè perpendantur non ſolum faciunt contrà dictam maximam: Liberum eſt quod &c. ſed etiam contrà concurſum Dei qui ponitur à quibuſdam indifferens ad velle & nolle. Similiter quod aſſumi ſolet de ratione actus liberi eſſe ut procedat à voluntate tempore & natura prius indeterminata & indifferēti ad illum actum, non eſt admittendum ut verum, quià Deus, qui eſt maximè liber in actionibus ad extrà, liberrimè voluit ab æterno condere cœlum & terram, cùm tamen nullum fuerit inſtans tempore vel natura prius quo fuerit ad eam volitionem indeterminatus. Et Chriſtus Dominus à primo inſtanti ſuæ conceptionis liberè voluit mori ſuo tempore pro hominum ſalute, cum tamen

tamen ejus voluntas nullo priori inſtanti fuerit indeterminata. Ad rationem igitur liberi actus ſufficit ut omnibus ad agendum neceſſariis poſitis, imò & tunc quando agit ſit in poteſtate voluntatis non agere: poteſtas enim ad oppoſitum conſiſtit cum alterum actu exiſtit, licet non illius oppoſiti actualis eventus: ſive utrumque oppoſitorum ad quod potentia ſe habet, eſt poſſibile, unum tamen eſt incompoſſibile alteri: vide quæſt. 6. de verit. art. 3. ad 7. & quæſt. 6. de ma. art. 1. ad 16. & Scotum in 4. d. 49. q. 13. Itaque indifferentia voluntatis quæ ad libertatem requiritur in hoc ſita eſt, quod voluntas nulla naturali neceſſitate ſit adſtricta ad alterutram partem contradictionis; ſed quando vult unum, eodem tempore poſſit illud ipſum non velle: quæ indifferentia non tollitur per hoc quod Deus eam ad alterutram partem determinet, nihilo magis quàm per hoc quod ipſa ſeipſam determinet. Nam quod nonnulli reſpondent hanc determinationem eſſe ab intrinſeco, illàm verò ab extrinſeco, non eſt ad rem, quia Deus non eſt qualecunque extrinſecum ſed eſt prima cauſa quæ operatur in unoquoque ſecundum ejus proprietates, quæque naturales rei proprietates quas dedit conſervat, non tollit. *De libertate*

Object. 2. Voluntas non poteſt aliud eligere quàm id ad quod determinatur, ergò non

non eſt in ejus poteſtate agere & non agere. *Reſp*. quod in ſenſu compoſito non poſſit aliud eligere; poteſt tamen in diviſo. Sed non eſt putandum quod intelligamus ſenſum diviſum eſſe hunc, fieri poteſt ut ſi non determinetur non agat; ſed ſenſus diviſus eſt, fieri poteſt ut is, qui jam movetur, determinatur, & agit, abſolutè non agat, qui eſt verus, quia etiam tum cum agit ſic agit ut poſſit non agere, quia habet principium intrinſecum ſufficiens ad non agendum, quamvis nunquam continget quod non agat quandò movetur: hic eſt enim ſenſus compoſitus, & eo ſignificatur fieri poſſe ut is qui movetur & determinatur ſtante determinatione non agat, qui eſt falſus, quia involuit incompoſſibilia, ſcilicet voluntatem moveri, ideoque agere, & tamen non agere. Sicut hujus propoſitionis ſedens poteſt ſtare, æger poteſt eſſe ſanus; ſenſus compoſitus eſt falſus quià involuit incompoſſibilia: eſt enim talis, fieri poteſt ut ſedens dum ſedet ſtet, fieri poteſt ut æger dum eſt æger ſit ſanus, cum tamen ſenſus diviſus ſit verus, fieri poteſt ut is qui ſedet ſtet, qui eſt æger ſit ſanus. Hanc diſtinctionem à Philoſopho, S. Thoma, Scoto & aliis viſitatam irrident aliqui, ſed melius ignorantiam ſuam culparent quàm antiquorum doctrinam irriderent. Nam & ipſi per hanc diſtinctionem exponere debent iſtam propoſitionem: prædeſtinatus poteſt

De ſenſu diviſo.

poteſt damnari; & reſpondere ad hoc argumentum. Si Deus hominem vocat eo modo quo vidit illum ſecuturum, fieri non poteſt ut homo non ſequatur, ergò tali vocatione poſitâ homo non poteſt non agere id ad quod ſic vocatur. Cum hac reſponſione coincidit illa quâ dicitur hæc propoſitio. Si Deus determinat neceſſariò agit, eſſe vera de neceſſitate conſequentiæ & conditionata, non de neceſſitate conſequentis & abſoluta quæ libertati opponitur. Sic reſpondet B. Thomas 1.2. q. 10. art. 4. ad 3. *Si Deus determinat voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni quod voluntas ad illud non moueatur, non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter: undè non ſequitur quod voluntas à Deo ex neceſſitate moueatur. Sed contrà,* videtur quod ſit impoſſibile ſimpliciter ſi voluntas determinatur, quia poſſibili poſito in eſſe, nihil ſequitur impoſſibile; ſed poſita hac in eſſe, voluntas quæ determinatur poteſt non agere, ſequitur impoſſibile, ergò illa non eſt poſſibilis. Probatur minor quia dicitur quod hæc ſit impoſſibilis voluntas quæ determinatur non agit. *Reſp. negando minorem*, quia hæc propoſitio de poſſibili voluntas quæ determinatur poteſt non agere non eſt ponenda in eſſe per iſtam, voluntas determinatur & non agit quę eſt impoſſibilis, ſed per illam. Hæc voluntas (etiamſi deſignetur ea quæ determinatur) non agit, quæ abſolutè loquendo eſt poſſibilis, ſicuti hæc,

album poteſt eſſe nigrum, non ponitur in eſſe per hanc; album eſt nigrum, ſed per iſtam: hæc res (deſignata etiam ea quæ eſt alba) in nigra, quæ abſolutè eſt poſſibilis. Per ſimilem diſtinctionem neceſſitatis abſolutæ & conditionatæ Boëtius lib. 5. de conſolat. Philoſophiæ reſpondet ad argumentum quo videtur concludi ea quę Deus præſcit neceſſariò evenire. Similiter & B. Thomas l. 1. contrà Gent. cap. 68. addens quod in his & in omnibus ſimilibus quæ Dei ſcientiam circa contingentia oppugnantes argumentantur ſecundum compoſitionem & diviſionem falluntur: quod idem prorſus eſt dicendum de illis qui libertatem voluntatis ex præmotione argumentantes ſic impugnant ut eam tolli arbitrentur, cum tamen non tollatur ſed mutetur, nec infirmetur ſed roboretur. *Sed objicies* Anſelmus de concord.lib. arb. & prædeſt. cap. 1. & 2. Item lib. cur Deus homo cap. 18. diſtinguens duplicem neceſſitatem, præcedentem quæ ſe tenet ex parte cauſæ, & conſequentem quæ ex parte effectus, dicit illam obſtare libertati, non iſtam: atqui poſitâ præmotione eſt neceſſitas antecedens, ergò tollitur libertas. *R. neg. Subſeq.*

Explicatur S. Anſel. quià neceſſitas antecedens à B. Anſelmo vocatur quando cauſa neceſſariò agit, ut patet ex ejus exemplo quo dicit motum cœli eſſe neceſſarium quia habet neceſſitatem antecedentem .i. cauſam neceſſariam.

Præ-

Præmotio autem Dei cauſalitate quidem antecedit motum voluntatis, ſed non eſt ita antecedens ſicut Anſelmus intelligit, quia non eſt cauſa neceſſaria. Ita etiam Anſelmum explicat Alexander Alenſis 1. p. q. 24. m. 5. addens quod neceſſitas ſequens rei poſitionem, ſive neceſſitas conſequentiæ non tollit contingentiam rei, ſed ſola neceſſitas antecedens.

Ob. 3. Quod ſequitur ex hypotheſi ſeu antecedente quod non eſt in noſtra poteſtate, hoc ipſum quoque in noſtra poteſtate non eſt: ſed actus omnes ſequuntur ex prædeterminatione Dei quæ non eſt in noſtra poteſtate, ergò illi non erunt in noſtra poteſtate. *Reſp. majorem eſſe falſam*, & Romæ ſub Sixto 4. anno 1476. ſub hac vel ſimili forma damnatam: quod ſequitur ex inimpedibili, ipſum quoque eſt inimpedibile. Teſtantur hoc Lovanienſes quibus procurantibus damnatio & reprobatio facta fuit, probantque illius temporis acta publica. Neque eſt quod coneris diſtinguere duas illas hypotheſes: ſi enim aliquid ſequitur ex hypotheſi quæ non eſt in noſtra poteſtate, hoc ſequitur ex inimpedibili, ideoque juxtà axioma deberet eſſe inimpedibile ſeu deberet non eſſe in noſtra poteſtate. Deinde probatur utriuſque falſitas, quia ex hac hypotheſi & antecedente quod non eſt in poteſtate humana, ſive ex hoc inimpedibili, Deus

Impugnatur axioma quod ſequitur ex hypotheſi, &c.

ab æterno decrevit pati Chriſtum ſuum, ſecutum eſt neceſſariò ſeu infallibiliter hoc conſequens, Chriſtus eſt paſſus, quod tamen ſic erat in poteſtate humana Chriſti
Iſa. 53. ut dicatur *oblatus quia voluit.* Præterea ſi vera ſunt dicta axiomata, omnia erunt neceſſaria, quia omnia ſequuntur ex hypotheſi & antecedente quod non eſt in noſtra poteſtate, ſcilicet ex ordinatione, providentia, & voluntate divina quæ eſt cauſa effectiva rerum omnium, quæque ab æterno voluit facere illa omnia quæ facit in tempore. 3. iſta axiomata deſtruunt etiam dogma ſuorum authorum; nam quandò Petrus ſequitur Deum ſuadentem eo modo quo eſt congruum, ibi eſt effectus ſequens ex hypotheſi quæ non eſt in poteſtate Petri, ſcilicet ex ſuaſione Dei quam Petrus non habet in ſua poteſtate, cum Deus vocet quandò, ubi & quomodò vult, ergò effectus ille .i. Petri ſequela non erit in ejus poteſtate. Denique ſicut habet ſe effectus contingens ad ſuam cauſam, ita effectus liber ad ſuam, ſed effectus poteſt contingenter provenire à cauſa proxima contingente, etiamſi cauſa ſuperior ſit neceſſaria, ergo effectus poteſt etiam liberè provenire à cauſa proxima libera etiamſi cauſa ſuprema ſit neceſſaria, vel ſaltem non in poteſtate cauſæ proximæ. Confirmatur hæc reſponſio ex B. Thoma qui docet effectum poſſe eſſe contingentem propter cau-

fam

ſam proximam contingentem, etiamſi cauſa ſuprema ſit neceſſaria: ſicut germinatio plantæ eſt contingens propter cauſam proximam contingentem licet motus ſolis qui eſt cauſa prima ſit neceſſarius; & ſimiliter ſcita à Deo ſunt contingentia propter cauſas proximas, licet ſcientia Dei quæ eſt cauſa prima ſit neceſſaria. Inveniuntur hæc 1. p. quæſt. 14. art. 13. ad 1. quæſt. 19. art. 8. q. 116. art. 1. lib. 1. contra Gent. cap. 68. lib. 3. cap. 71. 72. & 86. Opuſculo 3. capite 139. & apud Alex. Alenſem 1. p. quæſt. 26. m. 7. art. 2. & quæſt. 28. m. 4. art. 3. Undè ad illud ſi antecedens eſt neceſſarium etiam conſequens eſt neceſſarium, B. Thom. q. de providentia art. 9. ad 12 reſpondet quod *neceſſitas cauſæ primæ non inducit neceſſitatem in effectu niſi poſita neceſſitate in cauſa ſecunda.* Quibus etiam conforme eſt quod habet S. Bonaventura in 1. d. 38. art. 2. q. 1. quod in ſyllogiſmo ex majori de neceſſario & minori de ineſſe ſequatur cōcluſio de neceſſario tunc ſolum quandò minor de ineſſe talis eſt ut ſimpliciter æquivaleat neceſſariò. Conſentit etiam Alex. Alenſis 1. p. quæſt. 24. m. 5. & quæſt. 28. m. 4. art. 5. dicens quod ea ratione hæc concluſio non ſit neceſſaria. Omne currens neceſſariò movetur iſte, eſt currens, ergò neceſſariò movetur. *Petes* quomodò fieri poteſt quod actus ſit in poteſtate hominis ſi pendet à Dei præmotióne quæ non eſt in ejus poteſtate.

Quomodò actus ſit in poteſtate hominis.

Reſp. eſſe in poteſtate propter intrinſecum principium quo ex judicio rationis poteſt eligere & non eligere, undè eſt obſervandum quod quando aliquid dicitur eſſe in poteſtate hominis, ſemper eſt intelligendum eſſe in poteſtate ſuppoſito Dei auxilio ut pag. 14. diximus. Certum eſt enim quod homo poſſit credere, ſperare, diligere mandata implere: verum ſimiliter certum eſt quod nullum eorum poſſit, niſi ſuppoſito auxilio gratiæ quod non eſt in ejus poteſtate: unde Aug. l. 1. retractationum cap. 22. *In poteſtate hominis eſt mutare voluntatem* (inquit.) *ſed ea poteſtas nihil eſt niſi à Deo detur*; & B. Thom. q. 24. de veritate art. 15. concedit nos poſſe velle & præparare animam, ſed tamen non ſine divino auxilio; undè 1. 2. q. 109. art. 4. ad 2. Illud quod poſſumus cum auxilio divino non eſt nobis omnino impoſſibile. *Verum* dicent aliqui, quid ergò nos facimus ſi nihil habemus in poteſtate, niſi Deus det omnia. *Hanc q.* tractans B. Aug. tomo 10. fragmento 1. dicit *venenum habere*, docetque cum dicitur nos poſſe non peccare, poſſe mandata implere, &c. debere intelligi quod poſſimus per gratiam & non aliter, hoc eſt dicere quod *poteſtas non ſufficit niſi adjungatur infirmitas*, ut dicit epiſtola 95. Hinc eſt quod ex Ambroſio docet lib. 2. de dono perſeverantiæ cap. 19. Cor noſtrum & cogitationes noſtras non eſſe in noſtra poteſtate, quia ſcilicet pendent à Deo,

Deo, non autem à ſola noſtra voluntate. Et certè ſi quia requirimus præmotionem Dei quæ non eſt in poteſtate creaturæ, ſequeretur hominem non poſſe operari .i. non habere in ſua libera poteſtate ut operetur, ideoque non eſſe illi imputandum ſi omittat; etiam ex eo quod Sancti Patres docent gratiam ita eſſe neceſſariam ut nec ipſam bonam voluntatem habere poſſimus ſine gratia, nec ullum aliud opus ſalutis facere, ſequeretur quod homo non poſſit velle aut operari bonum, quia hoc non poteſt niſi ſuppoſito eo quod non eſt in ejus poteſtate ſcilicet auxilio gratiæ. Undè ſicut contra præmotionem objicitur quod unuſquiſque poterit ſe excuſare à peccato dicens quod non habuit præmotionem qua operaretur; ità contrà neceſſitatem gratiæ olim objicientes inducit Auguſtinus epiſtola 105. *Excuſabunt ſe*, inquit, *homines qui nolunt rectè fideliterque viuere, dicentes, quid nos facimus mali qui malè viuimus, quandoquidem gratiam undè benè viueremus, non accepimus*: quibus reſpondet, *Non poſſunt veraciter dicere nihil mali ſe facere, quià malè viuunt; ſi enim nihil mali faciunt, benè viuunt: ſi autem male viuunt, de ſuo malè viuunt*, &c. Similiter & quod D. Hieron. in epiſtola ad Creſiphontem quidam objiciebat: Si nihil ago abſque Dei auxilio, fruſtrà dedit arbitrii poteſtatem quam implere non poſſum niſi ipſe me ſemper adjuverit. Deſtruitur enim vo-

Peccator non poteſt ſe excuſare prætexendo defuiſſe ſibi prædeterminationē.

luntas quæ alterius ope indiget, coincidit ferè cum eo quod jam dicitur, Si nihil ago ſine præmotione Dei, non ſum liber: deſtruitur enim libertas quæ prævenitur: nam prævenire libertatem determinando eſt impedire libertatem: Verùm ſicut illi reſpondet Hieron. *Qui hæc dicit, quam non excedit blaſphemiam? quæ hæreticorum venena non ſuperat? Aſſerunt ſe per arbitrii libertatem nequaquam ultrà neceſſarium habere Deum, & ignorant ſcriptum quid habes quod non accepiſti, &c. velle & currere meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei ſemper auxilio non erit meum*: ità nobis liceat cum modeſtia reſpondere. Arbitrii libertas talis eſt ut ſine adjutore & præmotore Deo nihil poſſit agere. Velle quidem meum eſt, ſed ipſum velle ſine Deo præmovente & in me operante non erit meum: ipſe eſt enim qui operatur in nobis velle, ut dicit Apoſtolus. Injuriam tibi fieri putas & deſtrui arbitrii libertatem, ſi ad Deum ut præmotorem recurras, ſi ex illius pendeas voluntate? & ideo dicis unumquemque arbitrio ſuo regi, & concurſum Dei ſic eſſe in poteſtate liberi arbitrii, ut ob id dixerit Juſtinus Deum non eſſe cauſam determinatam virtutis noſtræ aut vicii, ſed propoſitum noſtrum aut voluntatem? Certè ſicut in omnibus bonis excellit gratia largitoris, ita in omnibus omnino actionibus ſupereminet motio creatoris, ſemper enim auxiliatur, movet;

movet, præmovet, & prævenit ille à quo accepimus id omne quod habemus, pendemuſque à voluntate Dei, nec in noſtrâ poteſtate poſuit auxilium, quod dat juxtà ſuæ voluntatis conſilium. Nec dubium eſt Deum eſſe virtutis auctorem, licet virtutis & vicii non eum vocemus pariter authorem; cum virtus ſit ex eo, vicium ex nobis.

Petes primò, ſi neceſſaria eſt prædeterminatio, quarè peccator qui fraternè corripitur, non poteſt ſe excuſare, dicens ſe non accepiſſe prædeterminationem quæ eſt ipſi neceſſaria, nec tamen eſt in ejus poteſtate: & conſequenter quomodò non tolluntur conſilia, præcepta, & correptiones fraternæ? *Inania ſunt hæc.* Similiter enim potes petere, ſi neceſſaria eſt gratia, quare peccator non excuſabit ſe dicens. Rectè corriperer ſi eam poſſem mihi dare vel ſumere ipſe nec facerem, vel ſi dante illo accipere noluiſſem: Nunc cum voluntas præparetur à Domino, cum niſi ab eo dante non accipiatur: quid me corripis, ſi præcepta non impleo, ſi ſanis conſiliis non acquieſco, cum hanc gratiam non acceperim? verùm quemadmodùm ſimilibus Pelagianorum ratiocinationibus reſpondet D. Auguſt. lib. de corrept. & gratia per plura capita, correptionem tunc ſalubrem eſſe, & ideo corripiendum eſſe peccatorem, ut ſtrepitu correptionis forinſecus inſonante atque flagel-

flagellante, Deus in illo intrinſecus occultâ inſpiratione operetur & velle: ſic nos dicere poſſumus admonendos eſſe peccatores, conſulendum & præcipiendum eſſe bonum, quià peccator quiſque poteſt à peccato reſilire & bona agere, quamvis hæc non poſſit niſi Deus operetur in illo velle & perficere.

Petes 2. Si Deus ſemper prædeterminat, ergo ipſe eſt qui totum facit: ut quid ergo nobis prædicatur atque præcipitur bonum agere, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle & operari Deus operatur in nobis? Similem *objectionem* videbis apud S. Aug. l. de corrept. & gratia cap. 2. Ad quam ex illo ſic reſpondetur: homines à *Deo aguntur ut agant, non ut ipſi nihil agant, & ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant, ut quando id agunt ſicut agendum eſt, &c. accepiſſe ſe gaudeant: quando autem non agunt, orent ut quod nondum habent, accipiant.* Sed prætereà eſt advertendum quod opus bonum non fit partim à gratia, partim à libero arbit. ſed totum à ſingulis opere individuo peragitur, ut dicit D. Bern. in fine l. de gratia & libero arb. & ſimiliter eſt dicendum de omni re: illa enim tota fit à Deo & tota à cauſa ſecunda ut docet D. Th. l. 3. contrà Gent. cap. 70.

De peccato omiſſionis. Petes 3. Quarè non ſequitur quod nullum ſit peccatum omiſſionis per hoc argumentum. Omiſſio actus non eſt peccatum quando omittitur defectu ejus neceſſario re-

requiſiti quod non eſt in poteſtate omittentis, ut dum omittuntur horæ defectu Breviarii quod non poteſt haberi: ſed quandocunque homo omittit, deeſt ei aliquid neceſſariò requiſitum ſcilicet præmotio Dei quæ non eſt in ejus poteſtate, ergo omiſſio nunquam eſt peccatum. *R. quia major non eſt vera*, niſi intelligatur de eo quod eſt natum ſubeſſe poteſtati hominis, qualis non eſt præmotio vel prædeterminatio Dei. Et præterea reſpondemus cum Baſſolis in 2. d. 37. quod licet homo non habeat talem virtutem divinam in ſua poteſtate, tamen habet actum quia abſolutè loquendo in quantum voluntas, poteſt velle & non velle; ideoque voluntas manet libera libertate quæ poteſt convenire cauſæ liberæ creatæ. Denique reſpondetur quod argumentum ſupponat hanc regulam ut veram: *Nulli imputatur quod ab alio dependet.* Verum D. Th. egregie falſitatem ejus oſtendit lib. 3. contra Gent. cap. 159. docens ex eâ ſequi plura inconvenientia. Sequitur enim quod ille qui fidem non habet, nec ſpem, nec dilectionem Dei, non ſit pœnâ dignus: quod eſt contrà ſcripturam: & ſicuti hoc ſequitur ex illa regula, ità ſequitur ex majore propoſitione argumenti ſi admittatur ut vera, quia ſunt omiſſiones actus ad quem prærequiritur auxilium Dei quod deeſt, nec eſt in poteſtate peccatoris. *Ex his jam duo* reſtant ſolvenda. primum, quare non eſt
fi-

militer in noſtrâ poteſtate volare, aut in hac vita Deum clare videre, cum ſi ad hoc prædeterminaremur fieret. Secundum, quomodò ſimus magis liberi quàm bilances quæ pendent in æquilibrio? quàm lapis cadens deorſum, cum habeat etiam ſui motus internum principium? Hæc quidem ridicula ſunt; quià tamen opponuntur, ſolvantur. *Ad primum dicimus*, volatus nullum eſſe in nobis principium. Ad viſionem autem Dei habemus quidem potentiam capacem, ſed ea etiam lumine ſpirituali ſecundum ſtatum hujus vitæ informata non eſt principium ſufficiens, nec tali objecto proportionatum, niſi accedat lumen gloriæ, ut in lumine videamus lumen: voluntas autem eſt principium internum & ſufficiens in ſuo genere ad actiones morales, ad bonas autem quando gratiâ informatur. *Ad* 2. *R.* bilances habere gravitatem, ſed non habere principium internum quo ſe poſſint movere: aliud enim eſt ſe movere quàm habere principium motus: nec habent principium quo tollant æqualitatem quæ impedit quominus una decidat, ſed requirunt principium externum, à quo ſic moventur ut non moveantur à ſe, cum tamen voluntas moveatur à Deo & etiam à ſe. *Similiter ad* 3. *R.* quod lapis non habet in poteſtate cohibere motum, quià principium motus quod habet internum, eſt quidem effectivum motus, ſed ex naturâ ſic determinatum, ut non

poſſit

poſſit ex judicio rationis (quod non habet) aliter; homo verò habet in ſua poteſtate motum cohibere, ac etiam tunc quando determinatur poteſt non agere, habetque principium activum in ſuo genere ſufficiens ad non agendum; ideoque ſicut quando agit habet principium ſufficiens ad non agendum, ita quando determinatur: quando enim determinatur, agit.

ARTICULUS IV.

SI Deus præmovet ac prædeterminat, ergo prædeterminavit ab æterno omnes actus peccati ſaltem quoad materiale, eoſque per ſe poſitivè intendit, facitque voluntatem eos facere, & per conſequens æque, imò magis eſt cauſa eorum etiam prout deformitati ſubſtant, quàm voluntas creata: eſt enim cauſa cur homo eos velit, quod eſt coöperari malo ſive eſſe cauſam peccati ex D. Thom. in 2. d. 37. q. 2. art. 2. & ſic non erit vera definitio Conc. Trident. docentis Deum ſolum permiſſivè operari opera mala, ſcilicet quoad materiale, ſic enim tantum ſunt operabilia. *Reſp*. 1. Deum ab æterno prędeterminaſſe omnes actus peccati quoad eſſe materiale, ſive in quantum ſunt actus, eoſque ita intendit ut efficienter illos operetur. Probatur primo, quia actus peccati in quantum eſt actus, eſt aliquod ens, ſed omne ens habet eſſe à Deo efficiente, ergo actus peccati quatenus actus, eſt à Deo

Deus eſt cauſa actus peccati, quatenus eſt actus.

Deo efficiente. Major nota eſt: ideo enim vocatur materiale peccati quia eſt ens quod ſubſternitur peccato. Minor eſt de fide,
Joan. 1. Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*: unde Aug. l. 2. de lib. arb. cap. 17. *Quantacunque bona, quamuis magna, quamuis minima, niſi ex Deo eſſe non poſſunt.* & cap. 18. dicit hæc duo inconcuſsâ fide teneri: *Deum eſſe & omnia bona ex ipſo eſſe*, atqui omne ens in quantum ens eſt bonum, ergo eſt à Deo. Rurſum l. 2. de moribus Manichæorum cap. 2. disertè affirmat omnium naturarum atque ſubſtantiarum eſſe authorem Deum, & omnium quæ ſunt cauſam eſſe ut ſint & cap. 7. Quidquid eſt, in quantum eſt, à Deo eſſe aſſerit, multaque habet alia quibus oſtendit malum non eſſe naturam aliquam, ideoque Deum non eſſe authorem mali qui omnis & ſolius naturæ author eſt. 2. Probatur ex S. Anſelmo l. de concordia præſcientiæ & prædeſt. cap. 1. dicente, quod *omnis qualitas & omnis actio, & quidquid aliquam habet eſſentiam à Deo eſt, à quo eſt omnis juſtitia & omnis injuſtitia. Facit igitur Deus omnia quæ juſta vel injuſta voluntate fiunt id eſt bona opera & mala: In bonis quidem facit quod ſunt, & quod bona ſunt: in malis verò facit quod ſunt, ſed non quod mala ſunt. Nam omni rei eſt juſtum vel bonum aliquid eſſe, nulli verò rei eſt aliquid eſſe injuſtum vel malum.* Quid hic ſignificat niſi Deum eſſe auctorem actus ſed non peccati, quia actus eſt aliquid boni,

pec-

peccatum verò nihil? Tertio probatur ex Alex. Alenſi qui l.2. q.100. m.3.art.6.§.3. ex profeſſo docet hanc concluſionem: *Mala actio ſecundum quod actio, eſt à Deo, ſed non ſecundum quod mala* & in reſponſione ad 2. *Non adjuvat*, inquit, *ipſe Deus liberum arb. in malo: adjuvat enim ipſum tantum quantum ad actionem, ſed non quantùm ad malitiam vel defectum.* 4. probatur ex Alberto Magno qui l. 2. d. 35. refert quoſdam antiquos eſſe opinatos quod voluntas per ſe ſufficeret ad actus malos ſed non ad bonos vel indifferentes: & poſteā concludit quod moderni quià viderunt quod perfectius eſt agere quàm eſſe, viderunt etiam quod id quod non eſt à ſe nec poteſt à ſe manere in eſſe, multo minus poteſt agere à ſeipſo: & cum actus malus ſit materialiter actus egrediens de potentia activa, *ideò concluſerunt quod non egreditur ab ea niſi ſecundum quod movetur à cauſa prima, alioquin ſequeretur duo principia eſſe; & hæc eſt cauſa quare & alia opinio ferè ceſſit ab aula & à multis modernorum reputatur hæretica.* Eodem fere modo argumentatur S. Thomas in 2.d.37.q.2.art.2. & Joannes de Baſſolis eadem d. Et ne ſimus æquo prolixiores, videantur D. Thomas 1.p. q.49. art. 2. ad 2. 1. 2. q. 79. art. 2. Opuſculo 3. cap. 141. Libro 3. contra Gent. cap. 71. & 162. & q. 3. de potentia art. 6. & q. 3. de cauſa peccati art. 2. Capreolus in 2. d. 1. & alii ſcribentes in diſt. 37. Magiſtri ſententiarum; ibi enim

ex-

expreſsè docetur quod Deus ſit cauſa efficiens actus peccati, non quidem in quantum eſt peccatum, ſed in quantum eſt actus. Ex quibus ſequitur ſecunda reſponſio.

Deus non ſolum permiſſivè operatur ſubſtantiam actus peccati, ſed vera ac propriè dictâ cauſalitate phyſicâ. Quæ licet ex ſuperioribus maneat probata, directè tamen hic denuò probatur ex Scoto l. 1. ſent. diſt. 41. & 47. *Ita*, inquit, *Deus ſcit hunc peccaturum, non ſolum quod ſcit ſe permiſſurum, ſed etiam quia ſcit ſe cooperaturum huic ad ſubſtantiam actus non circumſtantionati, & per conſequens iſte committet: vel non cooperaturum ei ad actum neceſſarium, & per conſequens iſte omittet.* Et hunc magiſtrum ſuum ſecutus Joannes de Baſſolis in 2. d. 37. *Dico*, inquit, *quod poſitiuum ipſum ſubſtratum non permittit*, ſcilicet Deus, *imò operatur & adimplet, ſed malum ipſum ut ſic permittit.*

Deus nõ ſe habet permiſſivè ad actũ ſubſtratum peccato.

Tertio reſpondetur veram eſſe definitionem Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 6. docentis mala opera quatenus mala non eſſe à Deo niſi permiſſivè: Deus enim omnia cauſat efficienter quæcunque participant rationem entis: peccatum vero non poteſt cauſare efficienter, nec ad illud movere vel impellere, quià peccatum eſt nihil, nec ullam participat rationem entis. *Ob.* 1. peccatum non eſt operabile niſi ſecundum eſſe materiale, ſed de peccato dicitur quod voluntas creata illud efficienter operetur: Deus autem

tem non niſi permiſſivè, ergò hoc intelligitur de peccato ſecundum ſuum materiale. R. eſſe impoſſibile ſolam creaturam efficienter operari actum poſitivum peccato ſubſtratum, ut ex dictis patet. Ad argumentum ergo nego conſeq. & dico ad antecedens quod peccatum ſecundum ſuum formale abſtractum à materiali non ſit operabile, ſed peccatum eſt operabile ſpecialiter à creatura & non à Deo, quià Deus operatur ſolum actum realem ut realis eſt, creatura autem illum operatur etiam ut eſt deficiens & deformis, quæ proinde non tam propriè vocatur cauſa efficiens peccati ut peccatum eſt, quàm cauſa deficiens: unde Aug. l. 12. de Civit. Dei. cap. 7. neminem vult quærere cauſam malæ voluntatis, quia non eſt efficiens ſed deficiens. Ex his patet non ſequi: Si Deus determinat ad omnem actum, ergò etiam ad actum malum. Idem enim ſequeretur ex concurſu, Deus concurrit ad omnem actum, ergò etiam ad malum, præſertim ſi addas quod ſicut peccat præmovens ad furtum vel actionem furti, ita etiam peccat concurrens & coöperans, cum digni ſint morte non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Rom. 1. Patet, inquam, non ſequi *Rom. 1.* quia actus malus ut malus non eſt actus, & ſic mutatur appellatio, tranſiturque à ſubſtantia, ad qualitatem, ſeu modum quo actus fit. *Obj.* Quidam, ne cogantur dicere

quod Deus ſit author peccati dicunt quod in actu peccati potius Deus coagat voluntati quàm contra, ut Gregorius Ariminenſis in 2. d. 34. & 37. qu. 1. art. 3. ad 8. R. certum eſt quod Greg. agnoverit determinationem Dei quoad actus non malos ut ſecundâ parte oſtendimus. 2. idem fatetur Deum non ſe habere merè paſſivè ad actum ſubſtantialem peccati: nam admittit eum concauſare cum voluntate. 3. R. cum Capreolo in 2. d. 37. q. 1. quod aliter melius dici poteſt, ſcilicet *quod quantum ad omne poſitivum quod eſt in actu voluntatis actio voluntatis creatæ eſt poſterior actione Dei in producendo quodlibet tale, quia nulla creatura agit niſi mota à Deo.* Ideoque ſubjungit quod motio Dei non determinat voluntatem ad id quod eſt malum, ſed ad illud quod eſt ex natura ſua bonum, licet ſit malum quoad deformitatem quam habet reſpectû cauſę ſecundæ. Ex quibus manifeſtum eſt quod etiam in actu peccati Capreolus agnoverit præmotionem Dei. *Nec* obſtat quod d. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. applicationem & præmotionem dicat eſſe propriam actionibus quæ per gratiam fiunt, in aliis autem non eſſe niſi coëfficientiam quia ſignificare vult præmotionem quæ fit per gratiam ſolum eſſe in operibus gratiæ, juxtà ea quæ ex D Bonav. diximus in 2. parte: alioquin eſſe aliquam præmotionem in omni actu poſitivo jam audivimus eum dicentem. *Si* inſtes quod Al-

Almainus ſimiliter de actu peccati loquens 1. moral. cap. 1. dicat. Deum velle non eſt prævium ſed concomitans & ſimul ſe habens. *Reſp.* in primis ex eo clarum eſſe Deum efficienter operari actum peccati ſi ſimul operetur : ſed præterea reſpondeo quod Bellarminus lib. 4. de grat. & libero arbit. cap. 14. hanc Almaini propoſitionem : concurſus Dei non eſt de prærequiſitis, dicat eſſe falſam. Denique reſpondetur Almainum hoc non dicere aſſertivè ; loquitur enim ſub diſiunctione : *Dico quod Deum velle non eſt præuium ſed concomitans & ſimul ſe habens ; vel dico quod omnibus poſitis præuiis neceſſariò prærequiſitis, ſupple quæ ſe tenent ex parte illius agentis, eſt in poteſtate illius producere vel non producere actum. Ob.* 3. qui cauſat actum quo homo eſt deterior, eo authore fit deterior, ergo ſi Deus cauſat actum peccati quo homo eſt deterior, fit Deo authore deterior. Antecedens habetur ex lib. 83. quæſt. Auguſt. q. 3. *Reſp.* antecedens non ſic haberi in Auguſt. Ibi enim ſolùm concludit quod homo non ſit Deo authore .i. Deo volente deterior quia de Deo dici nequit quod velit hominem eſſe deteriorem. Ut tamen ad antecedens aliquid reſpondeatur dicit Capreolis dictâ diſt. 37. *Ad hoc quod defectus culpabilis conſequens actum imputetur agenti, non ſufficit quod agens producat actum, & quod habeat dominium illius actus, & quod non ignoret defectum ; imò ultrà hoc requiritur, quod agens debeat*

&

& teneatur vitare talem defectum, & cauſare oppoſitum illius defectus: Item quod agens cui talis defectus imputatur, velit aliquo modo illum defectum: hoc autem in Deo locum non habet. Ob. 4. Homo non eſt cauſa peccati niſi quia eſt cauſa actus peccati, ergo ſi Deus eſt cauſa actus, eſt etiam cauſa peccati. Antecedens probatur, quia nullus intendit peccatum ipſum, cum ſit malum. *Ad hoc argumentum reſpondet* D. Th. 1. 2. q. 79. art. 2. ad 2 & q. 3. de malo art. 2. ad 1. negando antecedens: quia homo qui peccat, licet per ſe non velit deformitatem peccati, tamen deformitas peccati aliquo modo cadit ſub voluntate peccantis, dum ſcilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quàm ab actu ceſſare. *Ob.* 5. Qui eſt cauſa antecedentis eſt cauſa conſequentis, ergo ſi Deus præmovet ad actum peccati eſt cauſa peccati ſequentis. *R. negando* antecedens, datur enim inſtantia in antecedente logico, & etiam in phyſico. In illo, hujus antecedentis, ego video Petrum currentem, ego ſum cauſa, nec tamen ſum cauſa hujus conſequentis, ergo currit. In iſto: abſoluta voluntas Dei eſt cauſa antecedens voluntatis & actuum voluntariorum, nec tamen eſt cauſa peccatorum quæ ſequuntur. Pater eſt antecedens phyſicum ſive cauſa filii, nec tamen eſt cauſa homicidii per eum commiſſi: Illud ergò quod eſt cauſa antecedentis eſt cauſa conſequentis, poteſt habere verita-

tem

tem univerſalem quando antecedens eſt cauſa naturalis & neceſſaria conſequentis; juxtà illud quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſati cauſa. Sed ad argumentum ex eo petitum reſpondet D. Tho. 1. 2. q. 79. art. 1, ad 3. *Ob.* 6. qui eſt cauſa alicujus eſt cauſa alterius quod ei jungitur inſeparabiliter, ergo ſi Deus eſt cauſa actus, eſt etiam cauſa peccati quod actui jungitur inſeparabiliter. *R.* 1. quod nulli actui ſit neceſſariò & inſeparabiliter annexá malitia, eo quod non detur ullus actus eſſentialiter malus: quamvis enim odium Dei, adulterium, & homicidium ſint eſſentialiter peccata, actus tamen humani quibus illa fiunt ſunt boni ſecundùm ſubſtantiam, & ſeorſum à malitia conſiderari poſſunt. *Secundò reſpondeo* ex Capreolo ubi ſuprà quod antecedens verum ſit quando illa inſeparabilitas conſurgit ex natura & eſſentia actus in ſe conſiderati, & non ſpecialiter ex ſola relatione actus ad aliquod principium inſtrumentale vel principale: deformitas autem peccati, ut dicit S. Th. q. 3. de malo art. 2. ad 2. non conſequitur ſpeciem actus ſecundùm quod eſt in genere naturæ, ſed ſolùm prout eſt in genere moris, & prout ſequitur ex princio deficiente. Hinc eſt quod B. Thom. in 2. diſt. 37. q. 2. articulo 2. ad 5. abſolutè negat antecedens: *Etiamſi*, inquit, *in aliquo effectu plura inſeparabiliter conjuncta ſint, non oportet ut quidquid eſt cauſa ejus quantum ad unum, ſit cauſa ejus*

quantum ad alterum, ſicut natura eſt cauſa oculi quantum ad ſubſtantiam ejus, & non quantum ad defectum cœcitatis quæ ex naturæ defectu incidit. *Petes* quomodò poteſt eſſe quod Deus ſit cauſa ejuſdem actus cum voluntate, & tamen voluntati imputetur peccatum, & non Deo? *Reſp.* ex S. Thoma 1. p. quæſt. 49. art. 2. ad 2. quod *effectus cauſæ ſecundæ deficientis reducuntur in primam non deficientem quantum ad id quod habet entitatis & perfectionis, non autem quantum ad id quod habet de defectu: ſicut quidquid eſt motus in claudicatione cauſatur à virtute motiua, ſed quod eſt obliquitatis in ea, non eſt ex virtute motivâ, ſed ex curuitate cruris: & ſimiliter quidquid eſt entitatis & actionis in actione mali reducitur in Deum ſicut in cauſam, ſed quod eſt ibi defectus non cauſatur à Deo ſed ex cauſa deficiente*, quia ſcilicet ab ea cauſatur in quantum exit ab ordine cauſæ primæ ut dicit in 2. diſt. 34. qu. 1. art. 3. Similia habes 1. 2. q. 79. art. 2. & dicta diſt. 37. lib. 2. quæſt. 3 de malo art. 2. lib. 3. contra Gent. cap. 71. & 162. Opuſc. 3. cap. 141. & declarare poſſumus familiari exemplo: Propellens claudum ut progrediatur eſt cauſa cur progrediatur, & tamen non eſt cauſa cur ille progreſſus ſit claudicatio. Quando duo trahunt navem, is qui eſt alteri cauſa trahendi non peccat ſi bono fine id faciat, cùm tamen alter peccare poſſit ſi trahat in malùm finem; *ſi reſpondeas* id fieri, quia hi ſunt cauſæ partiales. ℞. multò magis fieri

fieri poſſe quando ſunt duæ cauſæ totales ſubordinatæ ut defectus referatur in cauſam proximam & non in remotam.

Hæc ſunt, quæ ad præſens de quæſt. difficili dicenda habui. Supereſt nunc ut qui fatemur Deum cauſalitate phyſicâ propriè dictâ cauſarum ſecundarum efficientiam non impedire ſed prævenire, humiliter eum rogemus ut actiones noſtras ſemper aſpirando præveniat & adjuvando proſequatur; nec vereamur libertatem infringi ab eo qui ut libertatis author non minus poteſt realiter movendo facere ut liberè agamus; quàm ut agamus. Faciat ille ut benè agamus, cujus eſt totum quod eſt optimum, & cui debemus initium, progreſſum & finem boni operis; & qui etiam rebelles poteſt propitius ad ſe compellere voluntates, ut tandem eò perducamur ubi rebelles eſſe non poſſimus.

FINIS.

[illegible]y Google

Google

Digitized by Google

Google